





FABULARUM
AESOPIARUM
LIBRI QUINQUE.



FABULARUM
AESOPIARUM
LIBRI QUINQUE.

——VETUSTO GENERE SED REBUS NOVIS.
PHAEDRUS.

GLASGUAE:
IN AEDIBUS ACADEMICIS
EXCUDEBANT ROBERTUS ET ANDREAS FOULIS
MDCCLIV.



CLARISSIMO VIRO

CL. SALLIER,

REGIAE GALLICAE,

ET INSCRIPTIONUM ACADEMIAE

SOCIO,

REGIAE BIBLIOTHECAE

CUSTODI,

LINGUAE ARABICAE

REGIO PROFESSORI.

CUI dono, dedico fabulas novas? tibi,
Optime SALERI: namque tu primus bono
Has munerasti perlegens suffragio,
Et judicasti luce dignas publicâ.
Quapropter animum spes mihi tacitum subit,
Satis felici prodituras alite:
Etenim sincerâ, candidâque praeditum

Te mentis indole esse, norunt plurimi,
Tibi quos adjunxit nexibus laeta aureis
Necessitudo; deinde liberalium
Praestare te magna artium peritiâ,
Neque te Latinis esse, quam Graecis libris,
Minus assuetum, quos prisca polivit manus,
Latere opinor literato nemini.
Id ergo totum qualecumque habe tibi
Novi libelli; meque livor si malus
Amarulentis impetiverit jocis,
Tuo praesidio tutere imbellem, precor.

P R A E F A T I O.

FABULARUM, quas hinc a me in lucem protrahit viri docti, nimis forte amica, at verenda mihi auctoritas, omnium fere est inventio antiqua. polivimus autem illas senariis versibus, et eo cultu, quo indigere visae sunt, ornavimus. ea laus nobis (siqua tamen in tam levi opere laus est) quo minus habet invidiae, eo facilius, utì speramus, concedetur.

Demptis itaque perpaucis, quas ipsi invenimus, caeteras excerpsimus, plerasque ex iis, quae sub Aesopi, Gabriaeque nominibus circumferuntur; nonnullas autem e priore Laurentii Abstemii hecatomythio. quasdam etiam scriptoribus aliis debemus, quos interlegendum auctores argumentorum ejusmodi, designatoresve habuerimus; quosque hic commemorare, quam difficile nobis foret, tam nos leve operae pretium facturos credimus.

At monere certe nos decet, fabulas inter,

quas olim edidit Robertus Stephanus Parisiis anno 1529 in 8vo versas e Graeco in Latinum a viris, ut titulus praefert, doctissimis, repertas esse a nobis haud paucas, quae labore fere nullo sub metricos pedes redigerentur: ita ut miraremur, eas tam facile, tamque celeriter posse concinnari; scriptasque primum senariis versibus, ac deinde, sive librariorum incuria, sive male feriatorum hominum studio interpolatas fuisse, suspicaremur.

Et eò quidem impellebant nos momenta rationum quaedam non absurda. nam primo in hac fabularum farragine legitur paginâ 154tâ, 'Aniani fabulae triginta octo, 'Gulielmo Hermano, Divi Augustini Ca'nonico, interprete.' ipsae porro fabulae illae sunt, non Aniani, sub quo nomine fabulae neque Graecae, neque Latinae ullae memorantur; sed Aviani, cujus extant quadraginta duae: quas iste interpres elego carmine scriptas cum invenisset, dissolvere maluit, atque diffingere. tales ergo elegis mutationes, conversionesque cum advenerint,

quanto facilius contingere ſenariis potuerunt? qui ſenarii adeo parum ſunt a familiari, ſolutoque ſermone diverſi, ut pro illo habiti ſaepe a librariis fuerint, atque in vetuſto fabularum Phaedri codice manuſcripto Remenſi, ordinibus litterarum plenis, abſque ulla ipſorum diſtinctione, ſint exarati. ſecundò, idem Gulielmus Hermanus fabulas alias quadraginta quatuor, quae in eodem libro reperiuntur, vertiſſe ſe dicit ex oratione ligata in ſolutam. tertiò denique fabulae ibidem permultae, cum ab hocce, tum ab aliis interpretibus ex oratione Graeca tranſlatae fruſtra nobis memorantur, cum nullas inter Graecas, quae quidem extent, compareant: imo vero non paucas earumdem fuiſſe deſumptas e Phaedro, quivis plane intelligat.

Poſtea vero quam varia ſcriptorum veterum fragmenta invenimus, quae, tametſi ad ſenariorum leges opellâ noſtrâ revocari minus, quam ſponte ſua recurrere viderentur, tamen proſa oratione ſcripta primum quin fuiſſent dubitare nobis, propter

perpetuam criticorum auctoritatem, haud liceret; abjiciendam esse suspicionem nostram, removendamque censuimus. tantum judicavimus, si daremus specimen aliquod industriae nostrae in ejusmodi monumentis, sive vertendis, sive restituendis, lectori non injucundum fore. hoc ergo sub ipsum praefationis hujus nostrae finem praestabimus. cumque olim Marquardus Gudius, vir magnae apud litteratores auctoritatis, fabulas quinque e codicibus manuscriptis erutas, numerisque pristinis, ut ipse credidit, a se restitutas, pro Phaedriis venditarit, eoque demum profecerit, ut Hoogstratanus, aliique satis multi adscribere eas Phaedro non dubitaverint; operae hujus exemplum pariter exhibebimus.

Justa quoque et honesta causa videtur esse confitendi, fabulas, de Rustico Providentiam Divinam emendare cogitante, de Lepore et Testudine, de Agricola et ejus filiis, de Cervo et Vite, acceptas referendas esse Michaeli Le Jay societatis Jesu sacerdoti, illas enim oratione, quanquam

ſoluta, tamen optimis ſenatiis proxima, perſcriptas invenimus: ita ut, in iis caſtigandis, et ad metricas leges componendis, perparvum ſit; quicquid opellae collocavimus.

Ab argumentis, quae perpolivit Phaedrus, manum prudenter abſtinuimus: quibus autem concinnandis, eximius fabularum Gallicarum artifex, Joannes de la Fontaine miram ſuam, vixque ulli deinde homini imitabilem artem adhibuiſſet, eadem, ſi arriderent nobis, non praetermittere debuimus. quippe diverſa, qua utimur, linguae ratio diverſum etiam poſtulat narrandi ac diſſerendi genus: Phaedruſque, et Joannes de la Fontaine, quamvis in arte ſcribendi fabulas ambo pariter excelluerint, abiere tamen in ſcribendo valde diverſi. nos quidem elegantiam primi ſimplicem imitari, quantum potuimus, conati; alterius facetam, ingenioſamque urbanitatem effingere vix aliquando tentavimus. fabulam tamen ejus de Ruſtico Mortem invocante ſtudioſe curavimus reddere: ſed pone ſubjunximus idem argumentum, ſimpliciter, magiſque,

ni fallor, ad ingenium linguae Latinae accommodate expositum. ac si qua nos, ut in fabulis de lupo falsa poenitentia ducto, de lupo natum erudiente, de malis aureis, atque in aliis forte plurimis, a via veterum pervulgata discessimus, id omne rogo ut mihi, aut malis exemplis, aut indole mea gentili decepto condonetur.

Adornandis fabulis nostris adhibuimus, duce Phaedro, senarios illos, veteribus quibusque poetis Latinis familiarissimos, neque prius esse in honore desitos, quam cum Latinitas formam induere paulo deteriorem coepit. hi quidem ïambum in sede tantum ultima necessario postulant: at iidem vocum, verborumque suavem concentum; at facilitatem orationis quandam delenificam volunt: quae dotes ambae poesim narrationis ingenuae, simplicisque propriam fere omnem concludunt; et industriam si minus diligentem, quam accurata ïambicorum gravitas, praesignificant; laudem tamen haud multo minorem habent; amabiliorem certe suam ipsam artis medi-

ocritatem efficiunt. aemulati ergo sumus doctam Phaedri negligentiam: obscuram vero quorumdam hominum diligentiam contempsimus, qui, cum hunc liberiorem in servandis metri legibus ac prope dissolutum fuisse contendunt, culpant profecto id quod ignorant.

Sumptos e Publii Syri Mimis versiculos aliquot concludendis fabulis quibusdam nostris aptavimus. hos litteris P. S. notatos lector deprehendet.

Marci Terentii Varronis fragmenta de conviviis ex cap. xxii. l. 1. et ex cap. xi. lib. xiii. A. Gellii.

Lepidissimus liber est M. Varronis ex satyris Menippaeis, qui inscribitur, Nescis quid vesper serus vehat: in quo differit de apto convivarum numero, deque ipsius convivii habitu, cultuque. dicit autem convivarum numerum incipere oportere a Gratiarum numero, et progredi ad musarum ----multos, inquit, esse non convenit, quod turba plerumque est turbulenta. et Romae, inquit, constat*, sed et Athenis nusquam

* *Locus valde corruptus.*

aut cubat. ipſum deinde convivium conſtat, inquit, ex rebus quatuor; et tum denique omnibus ſuis numeris abſolutum eſt: ſi belli homunculi collecti ſunt, ſi lectus locus, ſi tempus lectum, ſi apparatus non neglectus. nec loquaces autem, inquit, convivas, nec mutos legere oportet: quia eloquentia in foro, et apud ſubſellia; ſilentium vero non in convivio, ſed in cubiculo eſſe debet. ſermones igitur id temporis habendos cenſet, non ſuper rebus anxiis, aut tortuoſis; ſed jucundos, atque invitabiles, et cum quadam illecebra, et voluptate utiles; ex quibus ingenium noſtrum venuſtius fiat, et amoenius. quod profecto, inquit, eveniet, ſi de id genus rebus ad communem vitae uſum pertinentibus confabulemur, de quibus in foro, atque in negotiis agendis loqui non eſt otium. dominum autem, inquit, convivii eſſe oportet non tam lautum, quam ſine ſordibus. et in convivio legi non omnia debent, ſed ea potiſſimum, quae ſimul ſi ut * βιωφελῆ, et delectent potius; ut

* *Utilia vitae.*

id quoque videatur non defuisse magis, quam superfuisse----bellaria, inquit, ea maxime sunt mellita, quae mellita non sunt.* πέμμασιν enim cum πέψει societas infida.

'† Laudanda certe convivarum paucitas:
'A Gratiarum numero eorum convenit,
'Incipere numerum, et ad musarum pro-
'gredi.'
Non esse multos convenit; quod turba sit
Plerumque turbulenta. 'Romae antiquitus
'Conviva stabat, aut sedebat: nunc cubat.'
Ipsumque deinde quatuor convivium
Ex rebus constat; et suis tunc omnibus
Demum absolutum numeris est: homunculi
Si sunt collecti belli; si lectus locus;
Si lectum tempus; apparatus denique
Si non neglectus . . . .
Convivas nec loquaces autem oporteat,
Nec mutos legere: quia eloquentia in foro,
Et apud subsellia: nec vero in convivio,

* *Cupediis cum concoctione.*

† *Quae uncinis includuntur, mentem Varronis exprimunt, non verba ipsa repraesentant.*

Sed in cubiculo debet esse silentium.
‘ Igitur habendi non erunt id temporis
‘ Sermones serii, anxiis rebus super,
‘ Aut tortuosis; sed blandè invitabiles,
‘ Hilares cum fructu, cum voluptate utiles,
‘ Quîs nostrum fiat ingenium venustius.’
Quod sane eveniet, si de rebus id genus
Communem ad usum vitae pertinentibus
Confabulemur, de quibus loqui in foro,
Et agendis in negotiis, non otium est.
. . . . Dominum autem convivii
Non tam esse oportet lautum, quam sine
sordibus.
Neque omnia debent in convivio legi:
Sed ea potissimum, quae sint βιωφελῆ,
Simul et delectent potos: atque id quoque
Ut non superfuisse videatur magis,
Quam defuisse . . . .
Bellaria autem quod spectat, ea maxime
Tibi sint mellita, si quae non mellita sunt:
Πέμμασιν enim cum πέψει infida societas.

FABULA

DE SECURI ET MANUBRIO.

Aliquanti dantes auxilium hoſtibus ſuis pereunt. homo, ſecure factâ, ab arboribus poſtulat manubrium ut darent de ligno quod eſſet firmum. omnes oleaſtrum juſſerunt dare. accepit homo manubrium. apta ſecure, robora coepit decidere. magna truncabat, et eligebat. ſic quercus fraxino dixiſſe fertur: digne et bene patimur, quia manubria dedimus.

Hanc fabulam in veteri manuſcripto Divionenſi Gudius reperit, Phaedro adſcripſit, ſicque reſtituit:

Pereunt, ſuis auxilium qui dant hoſtibus.
Factâ bipenni, quidam ab arboribus petit,
Darent manubrium e ligno, quod firmum foret.
Subito juſſerunt omnes oleaſtrum dari.
Accepit munus; factumque aptans manubrium
Coepit ſecuri magna excidere robora,

Dumque eligebat, quae vellet; ſic fraxino
Dixiſſe fertur quercus: merito caedimur.

Sequentes fabulas ſelegimus ex illis Latinis, quas excudit olim Robertus Stephanus. eas autem, quaſi ſuis a nobis reſtitutas numeris, non venditabimus: ſed, quam facile ſenariorum legibus conſtringi potuerint, oſtendemus.

CAMELUS.

(Fab. 99. pag. 101, 102. incerto interprete.)

Cum primum viſa eſt Camelus, homines perterriti, et magnitudinem admirati, fugiebant. ubi vero procedente tempore cognoverunt ipſius manſuetudinem, confiſi ſunt eo uſque, ut ad eam accederent. at intellecto paulopoſt belluae non ineſſe bilem, eo contemptûs iere, ut et frena ei imponerent, et pueris agendam traderent.

Camelus viſa cum primum eſt, perterriti
Fugiebant homines. procedente tempore
Ubi cognoverunt ejus manſuetudinem,

Confisi sunt eo usque, ut ad eam accederent.
At intellecto denique nullam belluae
Inesse bilem, sic eam contemptui
Habuere, ut illi frenos etiam imponerent,
Et circum agendam pueris traderent suis.

GALLINA AURIPARA.

(Fab. 107. pag. 105. incerto interprete.)

Gallinam quis habens ova aurea parientem, ratus intra ipsam auri massam inesse, occisam aliis gallinis similem reperit.

Gallinam habebat ova parientem aurea
Aliquis: inesse massam auri intra ipsam ratus,
Caedit; gallinisque aliis similem reperit.

DE OPILIONE ET AGRICOLIS.

(Fab. 17. pag. 144. Hadriano Barlando interprete.)

Puer editiore pratulo oves pascebat; atque per jocum terque quaterque lupum adesse clamitans, Agricolas undique exciebat. illi saepius elusi, serio auxilium im-

ploranti dum non subveniunt, fiunt oves praeda lupo.

Oves in editiore pratulo puer
Pascebat: atque terque quaterque per jocum
Lupum advenisse clamitans, huc undique
Agricolas exciebat. at illi saepius
Delusi, auxilium jam imploranti serio
Dum non subveniunt, praeda oves fiunt
lupo.

DE GALLINA ET VULPE.

(Fab. 82. pag. 211. Rimicio interprete.)

Vulpes Gallinarum tugurium ingressa, cum gallinam nido aegrotantem aspexit, eam rogavit, quomodo valeret. cui gallina promptè respondit: meliuscule me haberem, si hinc abires, soror.

Ingressa vulpes gallinarum tugurium,
Nido aegrotantem gallinam aspexit. rogat,
Quomodo valeret. cui gallina, si hinc, soror,
Abires, ait; haberem me meliuscule.

FABULARUM AESOPIARUM

LIBER PRIMUS.

IN ORTUM SERENISSIMI BURGUNDIÆ DUCIS.

FABULA I.

LILIUM.

SATUM feraci, et nobili ſolo, ſuum
Cùm nuper apicem Lilium diſcluderet,
Erumperetque ſeſe in auras luminis;
Aurora primum lacrymulam demittere
Unam, alteramque coepit: at tam lucidum
Teneris repente frondibus viſum eſt decus,
Ut formoſa dea ſiccis, ac nitentibus
Oculis geniſque fulſerit, et adriſerit,
Abſolveritque riſu ſimul amabili
Omnem novelli floris pulchritudinem.
Mox Phoebus aureo emicans vultu advolat;
Suaque circum luce Lilium ambiens
Fovetque, recreatque; et expleri nequit
Videndo; et omnes hîc velit ſecum deos,
Deaſque adeſſe gratulandi gratia.
Hucque, ô deorum ſumme, dixit, huc ades,
Verende genitor. Audiit: adeſt Jupiter;

A

Videtque, gaudetque, ut Jovem quidem decet;
Ita tamen gaudet, ut hominem tunc diceres.
Interea amoeno cincta nympharum grege
Natura ſtabat, proprium admirans opus:
Oculo ſagaci perſpicit aliquandiu
Penitus, penituſque, ſollicita, ne quid ſuo
Decoris alumno deſit, ultima quod manus
Adjicere poſſit. Ad ſuum poſtquam omnia
Exacta guſtum convenire intelligit,
Decus meum, inquit, creſce ô Lilium; mea,
Creſce, ô voluptas; teque jam, quotquot micant
In orbe flores, capite ſummiſſo colant.
Dixit; ſtatimque ſeligit fidam è ſuis
Comitibus unam, praevalenti corpore,
Vultuque, Floram, candido, et rubicundulo;
Et Lilio uni fida famuletur, jubet,
Curaſque alendo ſedula omnes conferat.
At illa, tanto honore gaudens, exilit,
Simulque retegit nectare plenos ſinus,
Succoſque fundit, quos, futuri praeſciae,
Jam praepararant antea Vita et Salus.
Fabula quo ſpectet, tota dicet Gallia.

II.

Formica et Cicada.

MAGNI laboris formica patiens, opus
Aeſtate tota fecerat, hyemis memor;
Frugemque multam in horreum congeſſerat.
Cicada puros interim dies ſonis,
Male otioſa, ſtridulis indulſerat,
Nil providens quid deinde venturum foret.

Venit hyems. Trifti mifera contrahitur gelu;
Seque perituram denique fentifcit fame,
Si non cibi aliquid unde unde extricaverit.
Formica tutum fe receperat in cavum,
Paratis opibus jam fruens: hanc convenit
Cicada fupplex; ferque, ait, amica, fer opem
Egenti. At illa: quid agebas autem, has ego
Dum opes colligerem? cantabam videlicet.
Cantabas! laudo. Nunc faltare quid vetat?
Senectutem olim triftis excipiet labor,
Laboriofa ni juventus praecavet.

III.

AQUILA ET CORVUS.

RApuerat aquila curvis arietem unguibus:
Idem experiri corvus et ipfe dum cupit,
Parem e grege toto praedam obfervans eligit,
Simulque magno devolans ruit impetu:
Sed arietem, impar viribus, neque tollere,
Neque adeo illius pertinaci velleri
Mifere impeditum fe expedire jam poteft:
Hunc ergo paftor accurrens capit; et, tuas
Prius, ait, vires confulere te oportuit,
Quam tale facinus pertentares exequi:
Capere volebas; captus ipfe nunc veni,
Meo futurus filio ludibrium.
Monet fabella, tenuiores ad fuam,
Potentiorum exemplis, perniciem trahi.

IV.

Lacerta et Testudo.

TUI me miseret, aiebat Testudini
Lacerta; quae, quo libeat cumque vadere,
Tuam ipsa tecum ferre cogaris domum.
Quod utile, inquit illa, non grave est onus.

V.

Ericius et Talpa.

ADventare hyemem quidam Ericius videns,
Talpam rogavit, proprio in specu locum
Sibi ut vim contra frigoris concederet.
Concessit Talpa: sed receptus hospitem,
Ut se movere cumque vult, Ericius
Pungit molestis hinc et hinc aculeis:
A se ergo Talpa hunc sentiens damno suo
Receptum, ferre nec diutius volens,
Placidis precatur verbis, exire ut velit,
Quandoquidem angustus ambo non capit locus.
At esse gaudens ille, ubi bene est sibi,
Hinc exeat, ait, qui manere non potest.
Monet fabella, neminem tecto excipi
Debere, nisi qui possit aliquando ejici.

VI.

Leo, Lupus, et Vulpis.

LEO aegrotabat: accesserunt illico,
Ut solarentur, omnes undique belluae;
Tamen adhuc Vulpis aberat, quam infensus Lupus

Occasionem criminandi hinc occupat,
Ut quae nil pensi haberet vitam principis;
Dumque alia multa deblaterat ejusmodi,
Conflare tentans invidiam; tandem advenit,
Ejusque verba Vulpis audit ultima.
Vix introgressa, me, ait, excusatam velis,
Magnanime princeps, si forte videor tibi
Parum fuisse diligens: mea interim
Tibi opera impensa est; et fuit pretium in mora:
Nam circuivi; et hinc, et illinc sedulo
Rogavi, quodnam remedium praestantius,
Tuoque morbo magis idoneum foret.
Quid comperisti, subjicit impatiens Leo?
Vulpis reponit: nil crede efficacius,
Quam si viventem excoriari Lupum cito
Jubebis, ejusque calidam pellem indues.
Placet remedium: Lupus ergo deglubitur
Miser, et agnoscit, quae nihil dominos juvat,
Recidere fraudem saepe in auctores suos.

VII.

Pueruli Fratres.

NAtura, et usus vitae communis, duos
Puerulos fratres mutuo conjunxerat
Amore, qualem ferre id aetatis solet.
Tentatus est forte unus amborum levi,
Brevique morbo: venam oportuit tamen
Secari, medico sic jubente: quod videns,
Protinus adflere coepit alter. At mihi
Pius iste motus misericordiae placet,
Ait aeger secum reputans; ac etiam magis,

Quam credidi, ab eo nunc me amari intelligo.
Post paulo prima cum reveniſſet ſalus,
Germanum aſpexit cruſtulorum copia
Inſtructum: partem dare ſibi velit, rogat.
Negat ille vero. Quid? mihi pias heri
Lacrymas dediſti, nuncque cruſtulum negas?
Nego, inquit: lacrymas ſponte natura elicit;
Auro parandum contra cruſtulum puto.
Homines plerique ſanctam amicitiam volunt
Colere videri, occaſione qui data
Non plus ſe amicos hocce puerulo probant.

VIII.

Rosæ et Papilio.

SEmota ab omni pene conſpectu Roſa
In horti quodam delitebat angulo:
Inde tamen aliam, non viſa ipſa, clanculum
Roſam videbat, quae patenti in area
Suae, renidens lumini aetherio, decus
Frondis aperiret non ſine faſtoſo igneae
Fulgore formae: tum livore carpitur;
Gemitque, genere quod parem, tam diſpari
Vivendi ſorte ſeſe oporteat frui.
Papilio, ſua quem forte levitas huc tulit,
Sentit gementem; et, ſtulta, dicit, quid gemis?
Tua iſta nempe clarius micat ſoror,
Radiiſque ſolis vividioribus calet;
Sed te minus tenella eſt, et vernans minus;
Et aevum denique brevius, quam tu, exiget.

IX.

COLUMBA PLUMIPES, ET SAXATILIS.

SPernens Columba plumipes Saxatilem,
Superbiebat, quod ſe ſemper cerneret
Bene ocreatam; dum ſuas illa interim
Nudas, turpeſque tibias oſtenderet.
Saxatilis ait: nudis me eſſe tibiis
Quod ſors voluerit, non modo injuſte exprobras;
Sed etiam, quod ſic nata ſim, mihi gratulor,
Quippe magis expeditae: at ocreas tibi
Quod fata dederint, quid te, ſtulta, jactitas?
Vincla eſſe potius, quam ornamenta, dixerim:
Enim experire: non modo nihil adjuvent;
Sed multum impediant, ne etiam commode ambules.
His excitata verbis, obliviſcitur,
Quod incubet ova plumipes: ut ſe probet
Poſſe ambulare commode, nido exilit
Repente, et ocreis ſimul inhaerentem ſuis
Spem ſobolis rapit, et inſcia illidit ſolo.
Iſtas Columba plumipes multum admonet
Mulieres, varius quas ita faſtus impedit
Veſtimentorum, ut ambulare vix queant;
Quaeque, ſibi fiat ut ſatis, miſeram domum,
Virum, ſobolemque ſumptibus perdunt ſuis.

X.

CAPO.

HAbebat aliquis Caponem, chortalibus
Prae caeteris alitibus dilectum ſibi;
Ita ut, colore nullo pennarum licet

Nitentem, totum crederet venustulum.
Adeo est amantum caeca deliratio!
Etiamque tinctu insignem rubro fasciam
Ad ejus collum stultus alligaverat.
Sed hic superbus ornatu novo additam
Sibi ratus esse miram pulchritudinem,
Cum se repente contulisset ad suos;
Omnes ad unum concordi simul impetu
In eum ruêrunt, rostris et pungentibus
Ferocientes diro indulserunt joco.
† Loco est ignominiae honor indigno datus.

XI.

Simius et Hinnuleus.

Hinnuleus olim, Simiusque dum invicem
Jocantur; ille genio indulget innocens,
Unumque simplex in joco quaerit jocum:
Sed alter, etiam ludens, innatam sibi
Malitiam continere non potest diu,
Et ad usque vivum dente pungens perfido
Hinnulei delicatam sauciat cutem;
Qui simul acerbans ejulatu, fletibus
Sensum doloris, hinc cito pede confugit
Cervum ad parentem, defluentique offerens
Cruore tinctam corporis partem, en vides,
Vides, heu! clamat, me miserum natum tuum
Malus iste agyrta quo tractaverit modo:
Quam nisi tu atrocem vindicas injuriam,
Pater, uti justum est, hercle perii funditus:
Namque hoc abîsse impune postquam viderit,

† *P. Syri Sentent.* Loco ignominiæ est apud indignum dignitas.

Audebit omnia, graviusque etiam scelus
Ad perpetrandum fiet comparatior.
Parem querelis cervus esse existimans
Causam querendi, territus primum fuit,
Et ultionis cupiditate percitum
Sibi simul sensit fremere, et accendi jecur:
At propius omnem deinde rem considerans,
Laesam esse leviter ut cutem nati videt,
Luctum ejus ipse denique mendacem arguit.
† Animo dolenti non oportet credere;
Etiam innocentes cogit mentiri dolor.

XII.

Gruis et Pavo.

Simultas, variis orta de causis, Gruem
Olim incitavit, et Alitem Junonium,
Ut se reciprocis laederent conviciis.
Vide, inquit Pavo, gemmeam caudae explicans
Formositatem, huic ordini praelucido
Pennarum quanta luminum vis fulguret;
Tuumque lauda postea, hucque, si potes,
Colorem confer cinereum. Retulit Gruis:
Colore nitido pennarum praestas quidem;
Neque hanc invideo futilem tibi gloriam:
Sed humi te retinet iste, quem jactas, decor;
His ego dum pennis, quas, superbe, vituperas,
Carpam volatus, si libuerit, arduos,
Ultraque nubes, proxima superis, ferar.
Fabella ostendit, inter elegantula,
Sublimiaque inter ingenia quid discrepet.

† *P. Syrus.*

XIII.

Mala Aurea.

VIR Lusitanus filium habuit unicum,
Cujus venustam simplicis animi indolem
Etiam adjuvabat pulchritudo corporis.
Erga hunc (etiam aliis, quam parenti, amabilem)
Erat parentis magnus, at prudens amor:
Oculum ille, curis excitatum providis,
Cum saepe in ipso defigeret attentius,
Animum introspexit, usu et exemplis malis
Ad artes flagitiosas exorabilem,
Eò facilius, quòd simplex magis foret.
Ergo monebat saepe, ne socios sibi
Habere vellet, ut habebat multo nimis,
Et hunc, et illum, indigitans, qui simili quidem
Aetatis flore, sed non innocentiae
Itidem niterent. Reverenter, uti par erat,
Monitus paternos audiebat filius:
At enim, inquiebat, tuta omnia times, pater;
Eosque certe, cum quibus credis mihi
Periculosum inire consuetudinem,
Quàm non nocere possint, haud nosti satis:
Imo, aliquid ipsi forte si contraxerint
Vitiositatis, quidquid id fuerit, meis
Bonis, ita spero, exemplis emendabitur.
Neque his placari visus est; neque adhuc tamen
Pater esse causam, cur succenseat, ratus,
Praestare verba quod nequeunt, innoxiis
Efficere tentat artibus: cistellulam
Pulchris, bonisque Malis Aureis replet,

Nisi quod tot sanis aliquot intermiscuit,
Subtilibus quae signis jam praenuntiant
Corruptionem: quo facto, natum vocat;
Et hoc leve, inquit, pignus habe amoris mei.
Laetus, gratusque filius donum capit;
Mox et sciendi cupidus, quas habeat opes,
Dum curiose numerat, atque examinat,
Repente clamat: heu! quid fecisti, pater?
Cur insincera miscuisti his integris?
Ne querere, fili: cum malis suam bona
Communicare sanitatem noverint.
Imo, reponit ille, quae bona sunt modo,
Brevi malorum mala fient consortio.
Nil tu time, inquam, nate; vel hoc mihi denique
Concede, ut experiamur, quem res exitum
Habere possit. Natus nil dum suspicans,
Quo tenderetur, licet invitus, annuit.
Ergo obseratur cistula; clavisque in manus
Datur parentis, ipse adesse dum velit
Referandi tempus. Interim impatiens morae,
Patrem usque, et usque blanda sollicitat prece,
Tentatque facere natus, ne diutius
Vetetur visere, quo suae sint res loco.
Nimis inquietus quid te frustra maceras,
Aiebat ille? quin potius, quod tu cupis,
Fieri dum liceat, sustines moram brevem?
At ecce, postquam distulit satis diu,
Tandem venisse nuntiat optatum diem,
Simulque clavim tradit: illa segnius
Videtur obsecundare isti improvido,
Suum expetenti cernere citius malum:
Nam vix aperta est cistula; ingentem videt

Omnibus ad unum Malis, jam non aureis,
Luem insedisse, et horridam putredinem.
Et calamitatem non ego hanc praedixeram,
Exclamat? heu me! quam verus forem, nimis
Intelligebam: sed aliter visum tibi,
Pater. Dolore (non tanti est) fili, abstine,
Ait ille, jungens plena amoris oscula:
Tibi quod habere super his noluerim fidem,
Quereris: at ipse numquid credideras mihi,
Dum commonerem, vita quorum non foret
Impuritatis expers, quam facile in malam
Perniciem eorum societas adduceret?
Periisse Mala, dono quae dederam, doles;
Jactura levis est, quaeque mox reparabitur:
Sed adulteratis si te, nate, moribus
Aliquando fieri vitiosum contingeret;
Ista, heu! tot curis quae anxium tenuit patrem,
Et qua nunc vivis totus amabilis patri,
Vitae innocentis si periret castitas;
Quid patre misero fieret? quemve acerbitas
Doloris caperet in corde paterno modum?
Atque ista demum, quae me, teque perderet,
Jactura, nam quo reparari pacto queat?
Hoc dicitur convictus exemplo puer
Meminisse semper, insincera quam cito
Perniciem Malis intulissent integris.
Retinete memores sensum hujusce fabulae,
O pueri: raro cum bonis fiet bonus
Vestrum aliquis; semper cum malis fiet malus.

XIV.

Cucurbita, Glans, et Rusticus.

Ventre intumentem repere humi Cucurbitam,
Miratus olim Rusticus, ô factum male,
Ita vivam, dixit! illa quanto pulchrius,
Meliusque ab alta dependeret ilice!
Talem, hercle, tales arborem fructus decent.
Nae dormiebat, quem rerum auctorem ferunt,
Haec dum ordinaret! nam Cucurbitae loco
Cur non vicissim serpit ista Glans humi?
Pol si vocatus essem in partem consilî,
Haec, et alia recte statuissem, ut equidem reor.
Dum sic homo meus se movet, ac plaudit sibi,
Aegre receptus oculis obrepsit sopor.
At ecce ab ipso vertice ilicis incidit
Glans dormienti, ejusque nasum vulnerat.
Evigilat; nasoque simul admota manu,
Hui! plaga facta est non levis! sanguis fluit!
Tantumne vero Glans minima infligat mali?
Cucurbita autem quid si cecidisset? papae!
Nil immutandum; sentio: rerum artifex
Suis prudenter cuncta disposuit locis.
Sese haud absimilem credat isti Rustico
Divinam quisquis culpat providentiam.

XV.

Lupus falsa poenitentia ductus.

Mores sceleftos, ac vitam nefariam,
Instinctus olim tristi poenitentia,
Abominari serio incepit Lupus.

Crudelitatis aeſtu ſemper abripi,
Fervere ſemper amore caedis impio,
Haec vita non eſt, inquit; ergo aliam lubet
Vivendi regulam experiri, affectibus
Legem immodeſtis ponere, converti bonas
Ad pacis artes atque manſuetudinis;
Pecudes lanigeras, mite et innocuum genus,
Placet imitari, et illarum conſortio
Deformitatem corrigere noſtrae indolis.
His dictis, recta tendit ad ovium gregem,
Bene certus animi (ſic videbatur ſibi)
Non modo creare nil mali, at etiam ſuis
Probe mutatis has recreare moribus.
Vitio adſueti cordis propoſitum heu! leve!
Placidae enim genti vix propinquat, cum jecur
Veteres in iras ſentit exardeſcere;
Simul imperioſos impetus ſequitur volens,
Praedamque, quam ſors objicit primam, rapit.
Hac admonemur fabula, multos, mera
Quos turpitudo ſceleris a ſcelere avocat,
Occaſione retrahi ad ſcelus data.

XVI.

Vulpis et Canis.

Rapuerat Vulpis gallum gallinaceum,
Voraveratque: mox nefaria hanc adhuc
Madentem caede fortis occupat Canis,
Crebroque dente membra diſcerpens vorat.
* Ab alio expectes, alteri quod feceris.

* *P. Syrus.*

XVII.

MURES DUO.

MUſcipula dulcem lardi fatalis dolum
Praetendens, Muris aviditatem accenderat
Potenti illecebra; ut victus ille denique
Irrueret, moxque captus ingemiſceret.
Suam ergo ſortem dum lamentatur miſer,
Quippe ſibi nullam ſpem ſalutis jam videns
Supereſſe; Mus ſeverus, et retorridus
Hac forte tranſit, et, merito certe tuo,
Quod nunc deploras, inquit, obtigit malum:
Ego quidem jam olim centies ejuſmodi
Mihi fraudulentas videram objici dapes;
Sed animus ſemper abhorruit, quantamlibet
Illae excitarent appetentiam ſui:
Enim profecto capite ſub hoc noſtro viget
Aliqua ſcintilla ſenſus et prudentiae:
Rationis autem quam ſis omnis indigus,
Futilibus antea, indoctiſque moribus
Tu perquam nimium ſaepe jam probaveras.
Heu me! reponit alter, quodcumque exprobras,
Ferrem libenter, ſi meis malis ſimul
Dares medelam; ſed tu cum nihil queas
Prodeſſe; dure, cur tuis conviciis
Hanc noſtram fruſtra calamitatem exaſperas?

XVIII.

Aries et Taurus.

ARieti tam bona adjumenta cornuum,
Capitisque tantam firmitatem indulserat
Natura, ut omnes lanigeros inter greges
Regnaret unus late, nec aries sibi
Obsistere ullus qui valeret jam foret.
Elatus ergo tot suis victoriis,
Taurum etiam stultus ad certamen provocat;
Simulque arietat; et repercussus simul
Taurina fronte, campum metitur jacens:
Tunc ferme exanimis, pristinam superbiam
Damnavit ipse, miser, et hanc vocem edidit:
Nunc, qui sim, justa calamitas tandem docet.

XIX.

Cancer et ejus Filius.

UT prorsus † iret, filium retrogradum
Cancer monebat; at filius: i prae; sequar.
Cuiquam ne objicias, quod tibi objici potest.

XX.

Agricolae et Mercurius.

IN ipsa ripa fontis Mercurio sacri
Agricola quondam cum arbores succideret,
Securis casu elapsa in undas decidit:

† *Plaut. Pseudol.* Act. iv. sc. 1. vers. ult.
Non prorsus, verum ex transverso cedit, quasi Cancer solet.

Flere ergo coepit. motus misericordia
Mercurius homini apparuit, et fletus sui
Causam rogavit; quam simul didicit, abit,
Reditque, securim deferens secum auream,
Et an sit illa, quam modo perdidit, petit.
At eam suam esse pauper negat. Ergo alteram
Defert secundo Mercurius argenteam;
Quam cum esse pauper hanc quoque negaret suam;
Ipsi postremo ferream Deus obtulit:
Illam suam esse cum assentiret Rusticus;
Justum et veracem Mercurius hominem volens
Remunerari, simul omnes dono dedit.
Hinc ille laetus socios convenit suos,
Aperitque id omne quod modo acciderat sibi;
Remque experiri dum unus e sociis cupit,
Ad fontem accedit, atque in undas dejicit
Securim; deinde flens in ripa considet:
Cujus ubi causam flendi rescivit Deus,
Securim defert auream, et an haec sit rogat,
Quam perdidit: eam cum suam esse diceret;
Mercurius, cognita ejus impudentia,
Neque auream illi, neque etiam suam dedit.

XXI.

Miluus et Mus.

RETentus olim caecis laqueorum dolis
Miluus inanes effundebat impetus.
Ut corpus inde liberet, nil non agit,
Ira et furore validus; et nil proficit:
Cujus laborem Mus videns, misertus est;
Abrosis ergo dente crebro vinculis,

In libertatem denique ponit Miluum:
At liber ille liberatorem vorat.
Ferre mali nequeunt, qui benefecerunt sibi.

XXII.

Cycnus et Anser.

Cycnum, Anseremque habebat quidam villicus;
Suaeque mensae destinabat alterum;
At alterum servare cupiebat diu
Gratum, canorae vocis ob dulcedinem.
Aliquando, seram sub noctem, ad focum sedens,
Confabulansque, noster nunc vobis, ait,
O pueri, qualis Anser esse creditur?
Ego vero factum satis obesum judico,
Respondet unus, hanc ut familiam tuam
Recreare possit non illiberaliter:
Sic ille fatur, sicque deinde caeteri.
Herus ergo, eorum quandoquidem sententiam
Non improbat ipse, ad stabulum, Cycno, et Anseri
Commune, pergit, tamque praecipiti gradu,
Ut etiam lucem ferre secum negligat:
Quaeritat; omittit Anserem, Cycnum capit
Inscius, eumque porro dederet neci,
Nisi ille fata instare sentiens sibi
Suprema, cantus incoepisset funebres,
Suavesque, fundere, mortis ad solatium:
Quos ubi canoros villicus agnovit sonos,
Heu! quantus error me, inquit, in malam prope
Necessitatem peccandi conjecerat!
Cycnoque misso, prendit Anserem et necat.
Quid blanda virtus suavis eloquentiae
Praestare possit, ista fabella indicat.

XXIII.

* LAESO DOLORIS REMEDIUM INIMICI EST DOLOR.

INſtinctus odio, calcibus infeſtis Equus
Petivit Aſinum, et vulnere afflixit gravi;
At medio in ictu malefacti poenam ſibi
Conſcivit ipſe; tibiarum enim alteram
Luxavit, diſſoluta cartilagine;
Ita ut dolorem ſaevientem non ferens,
Coactus fuerit languidos artus humi
Deponere, aegro non ſine luctu: quem videns,
Ego, inquit Aſinus, male valebam; ſed mihi
Bene eſſe jam nunc incipit, cum ſic jaces.

XXIV.

LUPUS OVINA PELLE INDUTUS, ET PASTOR.

OVina pelle ſe Lupus contexerat;
Oviumque blando, ſic perſonatus, gregi
Immiſcuit ſe perfidus: quotidie
Aliquam bidentem devorabat clanculum;
Sed fraude Paſtor cognita, tandem occupat
Incautum; eique cum juſtum rependeret
Supplicium, Opilio junior, rei inſcius
Quid eſſet, quaerit cur ovem dedat neci:
Et hanc aliquando, retulit ille, credidi
Ovem eſſe; factis at probavit ſe Lupum.
Malos ſi occultat ſpecies, opera detegunt.

* *P. Syrus.*

XXV.

Malus exspoliata.

ONusta pulchris, eximiisque fructibus
Superbiebat Malus: nam quotidie
Herilis ad se ventitabat familia,
Modo hoc, modo illud pomum, cui maturitas
Pretium addidisset, decerpendi gratia.
Sic illa amicos facere, stulta credidit:
At, praeter folia, postquam nil superfuit,
Eadem repente sese desertam videns,
Heu! fuerat, inquit, diviti nullus mihi
Amicus, quoniam nullus est nunc pauperi.

XXVI.

Canis et Lepores duo.

UNUM insecutus in campo Leporem Canis,
Videt alterum; et eum coepit pariter insequi:
At utrumque capere dum cupit, neutrum capit.
Sibi ipsa semper aviditas nimia officit.

XXVII.

Leo, Simius, et Vulpis.

QUaecumque paulo curtiore praeditae
Cauda fuissent belluae, edixit Leo,
Suo ni excedant regno intra paucos dies,
Malo mulctandas, quotquot potuerint capi.
Poenam ergo celeri Simius parat fuga
Vitare; at ipsam similiter Vulpem videns

Effugere velle, tu vero, inquit, quid times?
Ad téne edictum pertinere existimas?
Respondit illa: si mala edictum est fide,
Facile oratores invenientur perfidi,
Caudam mihi esse curtiorem qui probent.

XXVIII.

Aquila et Sol.

OBtutus Aquila cum suos defigeret
Oculo irretorto Solis in rutilum jubar,
Quam te, ait, acutum cernere, ô lucis pater,
Credidero, cum nil absque te cerni queat!
Sol retulit: ipsa dum me cogit veritas
Dicere quod res est, audi, et errorem tuum
Dedisce: tanta luminum qui copia
Abundo, ut coelum, et auras, et terram, et mare
Illustrem, caecus ipse cernere nil queo.
Hos admonet fabella, qui lucem omnibus
Dilargiuntur, dum caecutiunt sibi.

FABULARUM AESOPIARUM

LIBER SECUNDUS.

PROLOGUS.

CAPIT me fabularum suavis indoles,
Capit venusta munditie Latinitas
Simplex, et arti praenitens facilis color
Laboriosae. Ergo meas omnes mihi
Fere propellunt mentis aegritudines,
Deleniuntve versibus lepidis suis
Monitisque doctis Phaedrus ac Terentius:
Quibus poetam vix alium felicius
Utile miscere dulci existimaverim.
Ego porro eorum lene scribendi genus
Adhibere, quantum licuit, adnisus fui
His concinnandis fabulis; quarum tibi,
Lector, secundum nunc exordiar librum.

FABULA I.

Cervus et Hinnuleus.

CERVO dicebat Hinnuleus: tu natus es
Validior canibus, et mole ſuperior, pater;
Etiamque magna cornua in capite geris,
Quibus terribilem capere vindictam queas;
Timendus ergo potius, cur eos times?
At ille: quid ea memoras, quorum me pudet?
Ego fugere quidem nolim; nec poſſum tamen
Non fugere, ſimul audivi latratus canum.
Fruſtra excitantur, qui timent; quem fecerit
Natura timidum, ratio nulla corrigit.
Tua tamen, lector, ſi laboras hoc malo,
Fata ut ſequare, fabula ſequens admonet.

II.

Lepores et Ranæ.

LEpores perpetuis concitos terroribus
Aliquando cepit magnum vitae taedium:
Facto conventu, denique ſtatuunt mori.
Quid enim? timere ſemper, hoccine vivere eſt?
Ergo profecti ſpecie omnes in lugubri
Aquas paluſtres ſtagni vicini petunt,
Finire vitam certi ſub medio lacu.
Moeſta autem ſtagno cum propinquavit cohors,
Perterrefactae ſaltu ſe ſubito in aquas
Miſère Ranae. Hic unus exclamans Lepus,
Heus, inquit, ſocii, quantus et noſtri timor
Quoque ſit, videte; et incoeptis abſiſtite;

Perſtemus animis: timidi non adeo ſumus,
Ut inveniri timidiores haud queant.

III.

RUSTICUS ET SYLVA.

Esto beneficus; ſed cui benefacias, vide.
In Sylvam venit Ruſticus, capulum rogans
Aptum ſecuri tollere liceret ſuae:
Quod cum, annuente Sylva, feciſſet; ſtatim
Ferrum in beneficas vertere coepit arbores;
Ex quîs, dum caderet, una: merito caedimur.

IV.

VULPIS ET GALLINA.

INgreſſa Vulpis Gallinarum tugurium,
Nido aegrotantem Gallinam invenit; rogat
Quomodo valeret. Illa refert: ſi tu hinc, ſoror,
Abires, certe haberem me meliuſcule.

V.

TESTUDO ET AQUILA.

AQuilam Teſtudo orabat, ut volare ſe
Doceret; eaque monente, a natura procul
Ipſius id eſſe, precibus inſtabat magis.
Accepit igitur Aquila unguibus illam ſuis,
Tulitque in altum: ſed ubi dimiſſa haec fuit,
Cecidit in petram, et contrita periit domo.
Prudentiorem audire dum non vult, ſuae
Auctor ruinae contumax merito perit.

VI.

Puer et Agricolæ.

MEntiri aſſueto, vel ſi verum dixerit,
Fidem non facile haberi, hoc exemplum dabo.
Oves paſcebat, terque, quaterque per jocum
Puer lupum adeſſe clamitans, huc undique
Agricolas exciebat. At illi ſaepius
Deluſi, auxilium cum imploraret ſerio,
Jam non ſubveniunt; at lupus praedam rapit.

VII.

Bubulcus et Leo.

QUaerens Bubulcus, quem juvencum amiſerat,
Luſtravit omnem fruſtra ſolitudinem;
Demum invenire deſperans, orat Jovem;
Spondetque, furem ſi ſibi vellet modo
Oſtendere, hoedum mox ſacrificandum Deo.
Inde proficiſcens, in quercetum devenit,
Ibique reperit, quem Leo vorabat, ſuum
Juvencum: trepidus igitur, et perterritus,
Et ſublevatis manibus in coelum, ô bone,
O ſancte Jupiter, ait, voveram quidem
Tibi hoedum, ſi fur inveniretur mihi;
Nunc voveo taurum, ſi furem vitavero.
Humana ſaepe vota perniciem petunt.

VIII.

Grues et Anseres.

AGrum vaſtabant juncti Gruibus Anſeres:
Quod cum audiiſſent Ruſtici, illuc ſe ferunt.
Grues, ſimul eos aſpiciunt, ſimul avolant;

Verum capiuntur Anſeres, qui corporis
Onere impediti ſubvolare non queunt.
Suis fortuna quem ſaginavit bonis,
Non facile emerget praeſenti periculo.

IX.

Mula.

REcreata poſito largiter Mula hordeo,
Laſciviebat, inordinatos impetus
Molita; et, inquit, mihi fuit videlicet
Pater equus, eſſet curſu qui celerrimus,
Cui ſimilis ego ſum. Sed paulo poſt contigit,
Ut eadem ceſſaret, ubi currendum fuit,
Vixque ambulare poſſet: tum dixit gemens:
Equi putabam celeris me eſſe filiam;
Sed aſinum mihi fuiſſe nunc memini patrem.
Dediſcere ſeſe in proſperis ſtulti ſolent;
Sed eos adverſa ſortis admonent ſuae.

X.

Mors et Rusticus.

VEtulus redibat nemore Ruſticus, ferens
Vix ſe, ſuumque faſcem: victus denique
Labore, et annis, poſuit infelix onus.
Tum cogitare triſtis omnia incipit
Quaecumque perfert nunc, vel olim pertulit.
Nam quas faventis ille fortunae vices
Habuit, in annos ſi retro elapſos velit
Reflectere animum? paupera quondam in caſa
Vitam auſpicatus, miſerias inter miſer

Reptavit infans: hinc malorum quis modus?
Vel quando duri ferreum fati ordinem
Explere paulum destitit? conjux mala:
Desidia inertes liberi: immodicis herus
Juvandus operis: milites, domesticam
Quîs saepe oportet praebere supellectilem:
Rigidus coactor: creditor impatiens morae:
Victûs facultas rara: perpetuus labor;
Ac denique mali plurimum; prope nil boni:
His simul ob oculos positis omnibus sibi,
Suoque motus hocce postremo statu,
Senex misellus calamitatis ultimum
Gradum attigisse credidit: mortem invocat.
Adest: quid, inquit, me rogas? fascem hunc uti
Recipiam, dixit ille, me, precor, adjuva.
Mali medela Mors venit, gravius malum.

XI.

IDEM ARGUMENTUM.

FAscem lignorum miser humeros senex super
Portabat aegre: longiore sed via
Fractus, victusque, fascem deposuit humi;
Mortem invocavit: mors advenit: tum Senex:
Fascem hunc in humeros ut mihi reponas precor.

XII.

AGRICOLA ET EJUS FILII.

PUgnare inter se Filios quotidie
Suos Agricola cum videret, nec satis
Potis esset eos in gratiam reducere;

Jubet complures virgas afferri ſibi,
Omneſque in unum deinde faſcem colligat;
Tum faſcem caperent, ac perfringerent, monet:
Quod illis vero efficere non valentibus,
Virgas diſſolvit, frangendaſque ſingulas
Tradit; ſtatimque cum fregiſſent, ſubjicit:
Et vos unanimes, nati, ſi perſtabitis,
Eritis, ſperate, firmi, inexpugnabiles;
Sin vos ſejunxerit invida aemulatio,
Facilem offeretis hoſtibus victoriam.
Haec vera quam ſint monita providi patris,
Nemo eſt, opinor, qui mecum non ſentiat:
Res tamen ut etiam fieret omnibus magis
Perſpecta, placuit addere exemplum ſequens.

XIII.

Tauri et Leo.

SAnxêre Tauri quatuor, periculum
Cujuſque habendum commune omnibus fore.
Simul paſcentes hos videt Leo, nec tamen
Conjunctos audet aggredi, quanquam eſurit:
Primum ergo verbis dat operam fallacibus;
Segregat; ac demum ſegregatos enecat.
Addit vim invictam fortibus concordia;
Diſcordia frangit ipſam fortitudinem.

XIV.

Lupus et Ovis.

MUlcatus olim morſibus diris canum
Lupus jacebat potus et cibi indigens;
Ovem rogavit, potum ut afferret ſibi,

Perituro, ex unda praetereuntis fluminis:
Si enim tu potum dederis, ait; ego dein cibum
Ipse mihi inveniam. At illa, fraude cognita,
Sic retulit: potum stulta si darem tibi,
Tu nempe meipsam deinde capias in cibum.
Periculosum est adjuvare maleficum.

XV.

Gallina Ova pariens Aurea.

QUod lucrum habetur in manibus, hoc saepius
Habendi plura cupiditate amittitur.
Habebat aliquis ova parientem aurea
Gallinam: homo meus hanc auro plenam ratus
Caedit, gallinisque aliis similem reperit.

XVI.

Lupus et Anicula.

JEjunus obambulabat quaerendo cibum
Lupus: profectus ad locum quemdam, audiit
Plorantem puerum, dicentemque Aniculam:
Desine plorare; sin modo te tradam Lupo.
Putans locutam serio Aniculam Lupus,
Expectat ad multam horam; sed cum vespera
Demum advenisset, rursus audit puerulo
Adblandientem: dormi, pupe mi; huc Lupus
Si venerit, eum contiquo mactabimus.
Tunc, ô dolosos homines, Lupus abiens ait,
Qui dicunt aliud, aliud facere cogitant!

XVII.

Ovis et Cornicula.

DOrsum super Ovi dum sedens Cornicula
Fodicat; id ex te quod patior, inquit Bidens,
Cani si faceres, ferres infortunium.
Reponit illa: quibus ego insultem, scio
Molesta placidis, morigera ferocibus.
Malitia saepe comitem habet prudentiam.

XVIII.

Asellus et Equus.

ONusta ultra, viribus quam par foret,
Asellus, comitem, sese adjuvet, Equum rogat,
Amicumque levet onere, si salvum velit.
Quod ille cum renueret, nimio denique
Asellus onere victus moritur: ast herus
Onus omne, et ejus corium quoque demortui
Equo reclinat in dorsum; quibus fere
Oppressus ille, merito, dixit, heu! meo
Exerceor nunc, qui laboranti prius
Asello durus opitulari nolui.
Qui proximum adjuvat, ille providet sibi.

XIX.

Leo et Capra.

QUI dant consilia, ne sibi consulant, cave.
Leo conspicatus in rupe morantem Capram,
Ut pratum in viride potius descendat, monet.

Forte, inquit Capra, facerem, si tu inde abfores,
Qui non, ut volupe mihi sit, hoc suades mihi,
Sed ut habeas tu, quod vores famelicus.

XX.

Leo Senex et Vulpis.

Senex cum factus esset Leo, nec quaerere
Sibi victum posset, machinatus est dolum,
Quo sibi suppeteret alimentorum copia:
Ingressus ergo latebram speluncae intimam,
Se graviter aegrotare simulabat jacens:
Quae res per vulgus belluarum dedita
Ubi fidem obtinuit, accesserunt undique;
At ipsas capiens singulas necat Leo.
Vulpis et accedit; arte sed hujus cognita,
Stans extra limen, quomodo valeat, petit.
Cur non, ait ille, voce blanda conquerens,
Ingredere, filia? nimium, Vulpis refert,
Ingredientum ad te multa quidem vestigia,
At nulla prorsus egredientum conspicor.
Cum se dolosis artibus demitigat,
Tunc est timenda maxime crudelitas.

XXI.

Monedula.

Monedulam aliquis cum cepisset, ac pedem
Filo alligasset, puerulo hanc dono dedit.
Sed inter homines illa vitam non ferens,
Ubi quid parumper nacta libertatis est,
Fugit, notisque nemoribus se contulit:

Verum implicato circum ramos vinculo,
Cum non valeret avolare, nec diu
Vivere ſperaret, me miſeram! dixit, mihi
Quae vitam ademi, ſervitutem dum eximo.
Leve damnum ſuffer, ne grave incurras malum.

XXII.

Ranae.

CUM fureret aeſtas immodica, ſuam duae
Paludem Ranae ſiccatam reliquerant,
Inopeſque circum errabant quaerentes aquam.
Ad puteum tandem deveniunt; utque uberi
Illum ſcatere aquarum copia vident,
Perbibere cupiunt; unaque, huc age, ô ſoror,
Quin, inquit, ſaltu mittimus corpuſcula?
Sed hic ſi pariter puteus aruerit, refert
Altera, quo pacto hinc jam licebit egredi?
Itus eſt imprudens, de reditu ſi non liquet.

XXIII.

Cerva, Venator, et Leo.

CUM Venatorem Cerva fugeret, in ſpecum,
Ubi cubabat immanis Leo, incidit;
Qui comprehenſam dum necat miſeram; hei mihi,
Singultus inter illa ſupremos ait,
Ferum hominem fugiens, immanem inveni feram!
Vitas Charybdim fruſtra, ſi in Scyllam incidas.

XXIV.

Formica et Columba.

FOrmica ſitiens ad fontem deſcenderat;
Sed illam aquarum fluxus in praeceps trahit:
Peribat miſera, cum ſortem ejus intuens,
Miſeranſque Columba demiſit folium arboris,
Quo ſublevata naufraga evaſit necem.
Poſt paulo, inſtructus arcu, quidam Ruſticus
Advenit illuc forte; et obviam ſibi
Columbam aſpiciens, figere hanc telo parat.
Sentit periclum Formica, et piae timens
Columbae, talo Ruſtici ſeſe applicat,
Ipſumque mordet, adnitens, quantum poteſt;
Doloris ille impatiens obvertit caput;
Simulque volucris admonita procul evolat.
Juva, ut juveris; raro beneficium perit.

XXV.

Apes et ipsarum Dominus.

HErus dum abeſſet, dumque apes, ut plurimae,
Labore dulci detinerentur foris;
Ingreſſus aliquis in mellarium, favos
Diripuit. mox reverſus, ut apiaria
Effracta, inaneſque alveolos herus videt,
Ingemere primum, deinde malo, quaquà licet,
Mederi coepit. Interim redeunt Apes
E paſtu, herumque nihilominus, ac ſi mali
Auctor fuiſſet, ſimul omnes aculeis
Confodere certant. Tunc, ô volucres peſſimae!

Ait ille: sortem dum laboro sedulus
Efficere vobis ex mala meliusculam,
Meam in perniciem vos agit coecus furor.
Aliena damna tempore dextro ni leves,
Opera saepe tua damno vertetur tuo.

XXVI.

Asinus Sylvestris et Asinus Domesticus.

Sylvestris Asinus Asinum cum domesticum
Pinguem, et nitentem, et herbas inter primulas
Vernantis agri luxuriantem cerneret,
Sorte hujus, inquit, me frui nam quid vetat?
Quin adeo? et, socium habere me velit, rogo?
Secum haec locutus, venientem dominum videt,
Clitellas isti qui beatulo suas
Imponit, moxque cogit hinc sequi ad locum,
Ubi caesa fuerant ligna, quae dorso super
Congesta si non is satis propere vehat,
Nodoso fuste dux pigrantem suscitat.
Ad sua tum gaudens latibula revertit ferus;
Tuasque, dixit, Bajule, ô patiens nimis,
Tibi solus, non invideo, delicias habe:
Nulla est beata servitus, atque haec mihi,
Quantumvis misera, contra libertas placet.

XXVII.

Mus in cista natus.

In cista natus Mus erat: menses ibi
Aliquot, quietus, et sua quidem satis
Contentus sorte (quippe nil aliud putans

Sibi evenire melius posse) vixerat.
Eum tamen aliquando incessit cupiditas
Hinc exeundi, et explorandi, an hac sua
Cista pateret mundus multo latius.
Peregrinandi cupido januam facit
Tenuis meatus; illac prorumpit levis:
At curiosus singula vix circum incipit
Lustrare, varias hinc, et hinc dapes videt,
Omnesque gustans, experitur optimas:
Tunc secum, ô, dixit, hac mea cistellula
Nil esse melius, quam stultus ego credidi!
Cives ad istos haec fabella pertinet,
Qui stulte amantes patrium solum, boni
Vix alibi quidquam posse repériri putant.

XXVIII.

MILUUS ET AGRICOLA.

Columbam dum persequitur, in laqueum incidit
Miluus: hunc capiens dedere cum vellet neci
Agricola; parce, non enim te laesi, ait.
At ille, et ista, dixit, ante laeserat?
Mortem innocenti qui parat, jure hanc subit.

XXIX.

FEMINA MORTEM PRO MARITO APPETENS.

Morbo jacentem Femina Maritum videns
Gravissimo, ut qui jam fere succumberet,
Lamentabatur: an meum poteris mihi,
Mors dura, barbara, eripere, inquit, Conjugem?
Desiste, ah! vel si victimam desideras,

Sicque jubent fata, victima en adest; veni.
Simul haec verba inter, advocata Mors venit:
At mulier trepida, non, me ut tolleres, ait,
Huc te advocavi; victimam cape, en jacet.
Mori aliquem velle rarum est; velle sed mori
Uxorem pro Marito, prodigium foret.

XXX.

Asinus, Simius, et Talpa.

DUM conqueruntur, quod sibi desint cornua
Asinus, caudamque quod non habeat Simius,
Tacete, dixit Talpa; me miserrimum
Coecum videtis, et potestis conqueri?
Luctu, et querelis cur aevum consumimus?
Quin intuemur, sors si quem gravior premit?
Misero levamen miserioris est malum.

XXXI.

Lupus et Hystrix.

HOstes tibi esse quamdiu cognoveris,
Pugnandi tempus semper esse existima.
Jejunus olim in Hystricem incidit Lupus:
Suis at illa ut tota spiculis erat
Vallata, timuit vi praedator aggredi;
Praetentans ergo rem dolo, cur sic, ait,
Armata semper, ut in procinctu milites,
Procedis? atqui milites ipsi tamen
Quandoque ponunt arma; nuncque ubi suis
Omnia gubernat pax amica legibus,
Hostem tu sola quem times, vel quem petis?

Age vero, haec arma pone, quae te dedecent,
Corpusque tandem delicatum libera.
Cui retulit Hystrix: adversus similes tui
Me stare semper armatam decet, ac juvat.

XXXII.

EQUUS ÆGROTANS, ET CANIS.

EQuus aegrotabat: rodere assuetus Canis
Projecta cadavera, illum visitat, rogans
Quomodo se haberet: melius, inquit, quam velis.
Fabella spectat ad avarum haeredum genus.

XXXIII.

VIR ERUDITUS, ET TROSSULUS.

VIrum eruditum, cum suis solum libris
Bene otiantem quidam adivit Trossulus
Petulanter, ut fit, irridendi gratia,
Quod obstinatus latebricola, bubo merus,
Vitam inficetis solus in tenebris agat.
Sed ille, nunquam memini me, dixit, magis
Fuisse solum, quam cum nunc mecum hic ades.
Si tantum ineptus, nec etiam fuerit malus,
Nihili mensuram Trossulus totam replet.

XXXIV.

CANIS INFIDELIS, ET PASTOR.

OVES custodiendas tradiderat Cani,
Cani infideli Pastor, ignarus mali:
Namque ille vitiis corruptus, mores feros

Luporum coeperat imitari, et plurimas
Ore impiato jam bidentes manderat.
Quod execrandum Pastor ut novit scelus,
Simul expiare morte sceleratí parat.
Mene, Canis inquit, me quasi si lupus forem,
Mactare possis, here mi, violenta manu?
Istas deberi crede lupis poenas, precor;
Prudensque serva me, tibi addictum, Canem.
At Pastor: hostes sunt mihi quidem lupi:
Hostes sed illi sese profitentur meos:
Te contra, amicus qui videbaris mihi,
Nunc morte tanto digniorem judico,
Scelere lupino quod fefelleris fidem.
Monet bis esse sceleratos haec fabula,
Quos ad patrandum perfidia movit scelus.

XXXV.

LUCIUS LATE REGNANDI CUPIDUS.

IN amne, pisces qui satis multos sinu
Aleret profundo, regnabat ferus, et potens
Dominator olim Lucius. At eum piget,
Sua quod ambitio, vel potius voracitas
Et hinc, et illinc restringatur obicibus
Riparum iniquis. Immensa haec, inquit, mihi
Quae pectus igne tam generoso suscitat
Cupiditas, sese finibus angustis gemit
His contineri; quaerendum est, ubi latius
Regnare possit: memini cum mihi diceret
Peregrinus iste salmo, commode satis
Patere tractus oceani; certe hos lubet
Invadere: meis legibus omnes incolas

Subigere aequoreos, non adeo magnus labor;
Hic undequaque ſuper ingruere piſcibus,
Vique dominari, jam diu eſt cum noveram.
Vix ea locutus, prono fertur alveo,
Petitque pinna praecipiti, quantum poteſt,
Fluctus marinos: ſed in ipſo amnis oſtio
Captum marinus hunc lupus perſorbuit.
Ambitio injuſta, quantis afficeres malis
Hunc orbem, haberes ni dementiam ducem!

XXXVI.

Asellus viridis.

ASellum quidam per vias urbis ſuum
Voluit colore viridi pictum incedere,
Ridicula primum viſa res eſt omnibus;
Viridemque Aſellum feminae, pueri, ſenes
Certatim lepidis impetiverunt jocis:
Sed ubi diebus aliquot ſat riſum fuit;
Aſello in viridi nil praeter Aſellum vident.
Mirari quidquam non valent homines diu.

XXXVII.

Leo et Rana.

VAlde loquacem cum Ranam audiſſet Leo,
Timuit, et aliquod eſſe magnum animal putans,
Retro ſe vertit: at mox e ſtagno videt
Ranam exeuntem, quam indignans calcat pede.
Falſos timores ingenerare fortibus
Periculoſum quam ſit, exemplum hoc probat.

XXXVIII.

Agricola et Fortuna.

AGricola, terram fodiens, thesaurum invenit,
Aufertque, nec eum Fortunae acceptum refert;
Sed etiam meritis debitum credit suis.
Thesaurum hinc aliquot post dies fur subripit:
Afflictus ergo luctu inconsolabili
Agricola questibus omnia insanis replet,
Et aspera inter verba Fortunam increpat.
Cur me, inquit illa, gravibus immeritam probris
Lacessis? atque, quod tibi ereptum est bonum,
Mei faventis munus hoc si non fuit,
Mei reflantis crimen hoc cur nunc vocas?

XXXIX.

Tulipa.

HAbebat aliquis eximiae Tulipam spei,
Ac singulari quae jam pulchritudine
Oculos tuentum dulci retineret mora;
Tam recto caule, tamque procero suas
Attollebat opes: tam rotundatus bene
Tam scitâ incursitantes differentiâ
Calix colores explicabat vividos!
Florum eruditi quotquot amatores erant,
Cupiditate omnes curiosa perciti,
Visuri adibant Tulipam formosissimam;
Omnes amabant, omnes cupiebant sibi
Habere propriam; quorum unus versutior,
Audaciorque caeteris, illam, data

Occafione, furaci abftulit manu.
Difficile cuftoditur, quod multis placet.

XL.

Pueri et Ranae.

PUERI ad inertis ftagni venerant aquam
Ranis refertam; fimul in ripà confident;
Simul, bacillis inftructi ut longis erant,
Modo hanc, modo illam, fi caput forte efferat,
Ranam jocantes mulcant, ac dedunt neci.
Tum procul exclamat una: ô barbari, quibus
Haec tanta clades noftra dulcis eft jocus!
Ad hos fabella pertinet, quorum procax
Saepe dominatus miferos ludendo opprimit.

XLI.

Pisces.

JActis in undas retibus, magni quidem
Capti funt pifces; at minuti fe fimul
Extricavere, facile permeantibus
Corpufculis feneftras lineae domûs.
Raro in potentes errat ictum deftinans
Fortuna; in tenues manca faepius ruit.

XLII.

Puer et Coluber.

OBambulando reperit Colubrum Puer
Gelu rigentem; quem recepit in finum
Mifericors, et refovit, infcius mali.

At ille, primus ut calor ſibi redit,
Furit, impioque dente beneficum necat.
Scriptum eſt in hominem, qui nuper miſerrimus,
Nunc opprimit ſalutis auctorem ſuae.

XLIII.

Rosa et Amaranthus.

QUIS non odoris noſtri delicias amat?
Quis non tenellae frondis purpureum decus?
Dixit Amarantho nimium ſibi placens Roſa.
Amaranthus autem, nil mihi quidem, refert,
Contingit horum ſimile; ſed vivo diu.

XLIV.

Senex osor nivium.

QUidam, rigentem nivibus injectis aquam
Ut bibere vellet, cum rogaretur ſenex:
Aetas mea, inquit, frigore contenta eſt ſuo.

FABULARUM AESOPIARUM
LIBER TERTIUS.
PROLOGUS.

FAbellae, ab ipſo quas Aeſopi nomine
Noſtri priores dixerunt Aeſopias,
Placuere priſcis Graeciae doctae viris,
Summiſque: nec eas, tanquam aniles naenias,
Infantibuſve pueris vendibiles jocos,
Contempſit ulla docta gens mortalium.
Pater Sophorum, magnus ille Socrates
Dignas putavit, quas poliret verſibus:
Suffragioque muniit poſtquam ſuo,
Has eſſe jam omnibus approbandas quis neget?
Igitur materiam, quam mihi ſumpſi in manus,
Feſtivitate liberali cum ſciam
Pollere; et eſſe moribus etiam utilem;
Hanc ego cavere diligenter debui,
Ne culpa tenuis ingenî corrumperem:
Atque his profecto, caeteriſque fabulis,
Quaſcumque fingere experiar Phaedri ſtylo,
Conabor, ullo ſed ſine labore anxio,
Uti ſuum adſit non inconveniens decus.

FABULA I.

Sol et Aquilo.

SOL quondam et Aquilo, uter foret valentior,
Delitigabant. In viatorem suas
Se quemque vires experiri convenit.
Statuunt, ut, ipsi pallium qui excusserit,
Is jure merito sese victorem ferat.
Tum primus Aquilo flatibus horrisonis furit:
At se viator contra vim venti arctius
Involvit. Ergo, postquam profecit nihil
Aquilo, calentem Sol emolitur facem,
Radiosque sensim in intimam insinuans cutem
Viatoris agit. Ille mox exaestuat;
Simulque ab humeris pallium sponte exuit.
Vim vi repellunt homines plerique: ast eos,
Quo vult, volentes pertrahit benignitas.

II.

Agricola et Ciconia.

SATA depascebant laeta Grues et Anseres.
Laqueum tetendit Agricola; eosque, et simul
Cepit Ciconiam. Illa vero supplicat;
Et se innocentem dicit; et neque Gruem,
Neque Anserem esse; sed avium omnium optimam,
Ut quae pie parentes revereri suos,
Senioque fractos alere consueverit:
Etiamque campis navo, ait, operam utilem,
Angues, lacertos, pestesque id genus, vorans.
Horum, inquit ille, quae dicis, nil me latet;

Sed quando capta es una cum nocentibus,
Quam meruere illi, tute quoque obibis necem.
Qui socium hominibus flagitiosis se dedit,
Vel si nil peccet, poenas expectet pares.

III.

PISCATOR ET PISCICULUS.

PIscator in aquas cum jecisset hamulum,
Pisciculum eduxit. Orat ille, et obsecrat,
Ut sese abire, sic minutulum, sinat:
Crescam, ait, interea; cumque factus grandior
Fuero, majore tunc me recipies lucro.
Piscator autem, in capsulam, loquacule,
Ingredere, dixit; * ego spem pretio non emo.

IV.

MEMBRA ET VENTER.

AGentes pro se, proque membris caeteris,
Ventrem incusarunt aliquando Pes, et Manus,
Quod otiosus lucra voraret omnia.
Demum laboret, vel ali deinceps ne petat,
Edicunt. Ille semel, atque iterum supplicat;
Nequicquam. Contumaces alimentum negant.
Exhaustus ergo longa Venter deficit
Inedia: at pariter Membra deficiunt. Suum
Tunc fungi voluit, at sero, officium manus:
Nam factus Venter nimia desuetudine
Debilior omnem repulit omnino cibum.
Sic Membra denique, dum Ventri male invident,

* Ego spem pretio non emo. *Terentius, Adelph. Act. ii. sc. 2.*

Pereunt eodem, quo perit Venter, modo.
Officiis cuncta societas mortalium,
Quanquam diversis, mutuis tamen, viget.

V.

Canis et Bos.

PLeno accubabat forte praesepi Canis:
Bos venit, ut comederet: ille se erigens
Vetuit. At ista cum tua invidentia
Dî te, Bos inquit, perdant, qui non vesceris
Foeno isto, quique vesci eo me non sinis!
Haec invidorum abominanda est indoles:
Quibus uti nequeunt, neminem frui volunt.

VI.

Puer et Fortuna.

AD oram putei dormiebat Puerulus.
Eum Fortuna suscitans, abi hinc, ait;
In puteum namque si caderes, non hanc tuam
Fuisse culpam, sed meam omnes dicerent.

VII.

Camelus ad Jovem.

CAmelus olim sortis pertaesus suae
Conquestus est; armari Taurum cornibus;
At sese inermem caeteris animalibus
Objectum: cornua ergo donari sibi
Jovem rogavit. Verum iratus Jupiter
Implere votum non recusavit modo,

Sed etiam auriculas decurtavit bestiae.
Fortuna vivat quisque contentus sua.

VIII.

LUPUS ET HOEDUS.

CApra pastum itura stabulo Hoedum concluserat,
Aperire nemini, ipsa dum redeat, monens.
Audiit, et illuc post paulo accedens Lupus
Pulsat, vocemque caprinam imitatus jubet
Fores recludi. At Hoedus sentiens dolos,
Non aperiam, inquit; ad me vox meat quidem
Caprina; sed per rimulas video Lupum.

IX.

OVES ET LUPI.

OVES, Luposque, pace facta, junxerat
Solemne foedus, utrimque obsidibus datis.
Oves dedere vim canum, catulos Lupi.
Sed illae cum vix incoepissent simplices
Liberius agere, et pace properarent frui;
Catuli ecce, matrum desiderio perciti,
Ululatus edunt. Audiunt Lupi; irruunt,
Fidemque laesam criminantur, ac Oves
Laniant, heu! destitutas praesidio canum.
Pax fraudulenta bello ipso pejus malum.

X.

VULPIS ET CAPER.

IN puteum Vulpis, et Caper descenderant
Siti compulsi. Cum bibissent, et Caper
Respicere circum inciperet, de reditu anxius,
Bono animo es, inquit Vulpis; hinc enim prius

Reputavi mecum quì poſſimus egredi.
Namque ad parietem ſi admovebis te modo,
Pedibuſque corpus poſterioribus eriges,
Mentoque ad pectus adducto iſta cornua
Reclinabis, ego per tua terga tranſiens
Evadam e puteo, teque educam poſtea.
Cujus conſilio cum Caper haberet fidem,
Et id omne faceret, quod erat praeceptum ſibi;
Reſiliit Vulpis; atque dum, prae gaudio,
Exultim in ipſo geſtit putei margine,
Nil curae, ſocio quid ſuo fieret, habens,
Doloſa, perfida incuſatur: at refert:
Age tamen, hirce, ſi tantum ſenſus tibi
In mente, quantum eſt ſetarum in mento, foret,
An prius, amabo, puteum in hunc deſcenderes,
Quam exploraviſſes, quo egredi poſſis modo?
Hoc admonemur exemplo, nihil aggredi,
Ni facilis ante proſpiciatur exitus.

XI.

Mulier et Gallina.

Gallinam habebat Mulier, quae quotidie
Pariebat ovum: bina ſed, pro ſingulis,
Ova parituram, ſi plus eſcarum daret,
Sperans, incoepit educare lautius.
Atenim Gallina, exinde facta pinguior,
Ovum ultra parere ne potuit unum quidem.
Tardat, hebetatque luxus hominum induſtriam.

XII.

Cancer et Vulpis.

SALUM deseruit olim Cancer, in solo
Pascendi cupidus. Quem Vulpis procul ut videt
Esuriens, illuc accedit; et eum capit.
Nae, dixit ille, justa patior, qui, salo
Cum fuerim natus, voluerim solo ingredi!
Suus est cuique lege finitus locus,
Quem praeterire sine periclo non licet.

XIII.

Musicus.

BENE incrustatam calce Musicus domum,
Rudis canendi, habebat: in qua dum canit,
Sibi resonantem plenius vocem putat
Valde canoram; factus et superbior,
Credit oportere protinus se in publicum
Dari theatrum. At experiendi gratia
Illuc profectus, tristem, et exilem sonum
Cum distribueret tertios vix ad gradus,
Concordibus eum sibilis turba excipit.
Scholarum in umbra qui latens placuit sibi,
Recte ne sibi placuerit, publica lux probat.

XIV.

Canis et Asinus.

DUM blanditur hero, dumque familiae Canis,
Canem demulcet herus, demulcet familia.
Quod animadvertens Asinus, graviter ingemit:
Id certe inique comparatum existimat;

Illum gratum esse cunctis, accipere cibum
De mensa herili, et has omnes ludo suas
Beatitates, otioque consequi:
Portare contra sese clitellas suas,
Caedi flagellis, otiosum nullibi
Cessare, et esse despectum omnibus tamen:
Istuc si fiat autem blanditiis, eam
Decrevit artem, tam utilem, pariter sequi:
Et ea propter hero, forte redeunti domum,
Rem tentaturus, procucurrit obviam;
Et subsilivit, et pulsavit ungulis.
At ille clamat; advolantque servuli;
Et ineptus Asinus, qui se urbanum credidit,
Nodosis pulchre dedolatur fustibus.
Saepe, ubi repugnat natura, officit labor.

XV.

Bos et Vitula.

ARantem Vitula pinguis aspiciens Bovem,
Eum contempsit prae se, quae nihil ageret.
Sed sacrificii mox ut advenit dies
Bovem relinquit dominus, et Vitulam immolat.
Quod cum videret, heus amica, Bos ait,
Laboravisse nunquam quid te nunc juvat?

XVI.

Leo Filiam Rustici amans.

LEO cujusdam Rustici amabat filiam;
Cumque illam habere cuperet, patrem virginis
Rogavit, assentiret nubere hanc sibi.

Nullo se pacto, ut Filia nubat bestiae,
Adduci posse Rusticus refert: tamen,
Cum torvè aspiceret, frenderetque dentibus.
Leo minanti similis, ille exterritus
Mutat consilium; Filiamque huic nubere
Se cupere dicit; modo sibi dentes sinat
Unguesque velli, qui terrerent virginem.
Quod postquam, amore caecus, permisit Leo,
Sibi ergo demum Filiam dari expetit:
Sed illum inermem Rusticus jam non timens,
Arreptò fuste, pulsat, et abigit domo.
Amor, caecus amor extinguit prudentiam,
Ipsamque deinde fortitudinem domat.

XVII.

Culex, Leo, et Aranea.

NEque ego te timeo, neque me fortior es, ait
Culex Leoni: tune terrorem mihi
Incutere credas, ex eo quod unguibus
Lacerare noris, dentibusque laedere?
Age vero ad pugnam nunc veniamus, si lubet.
Dixit; simulque cecinit animosus tuba;
Simulque inhaesit naribus adversarii,
Cutemque teneram pupugit pertinaciter.
Leo furiosus unguibus proprios sibi
Dilaniat artus, donec exanimis cadat.
Suum superbus tunc victor epinicium
Idem ipse tubicen personans, hinc avolat:
Verum tenuibus mox filis Araneae
Implicitus, vitam gloriosam finiit,
Lamentans, hostem quod qui tantum vicerat,
Nunc ab animante tantula ferret necem.

XVIII.

Columbae et Accipiter.

BEllum Columbae gerere contra miluum
Voluere: idcirco deligunt regem ſibi
Accipitrem: at ille ſe hoſtem, non regem probat;
Etiamque miſeras milüo ferocius
Rapit, laniatque, tum ſuam dolent vicem,
Satiusque, dicunt, milüi impetus fuit
Tolerare, quam hujus regiam tyrannidem.

XIX.

Simia et Vulpis.

VUlpem rogavit olim Simia, ut daret
Caudae ſibi partem, contegendas ad nates;
Etenim, quod uſui et honori foret ſibi,
Huic eſſe id oneri. At illa reſpondit, nihil
Nimis eſſe, caudaque adeo verri humum ſua
Se malle, quam illa Simiae nates tegi.
Significat haec fabella, raro quidpiam
Superfluum eſſe diviti, ut egenum juvet.

XX.

Auceps, Palumbus, et Serpens.

AUceps Palumbo cum dolos praetenderet,
Premit Anguem, cujus dente violatus perit.
Malum jure feres, quod parabis alteri.

XXI.

Asellus, ejusque Herus.

IN ſylvam Aſellus cum veniſſet, reperit
Caeſi Leonis exuvias: has induit:

Ad pascua dehinc, sic personatus, redit:
Greges, armenta territat, fugat: videt
Herum venientem; in ipsum pariter irruit:
Sed apprehensis ejus auriculis Herus,
His forte, dixit, artibus alios licet
Decipias; at, ego cum probè te noverim,
Asellus es, et Asellus semper eris mihi.

XXII.

Taurus et Caper.

TAurus Leonem dum fugit, aliquod sibi
Latibulum quaerens, speluncam obviam subit:
Sed obstitit ei cornibus adversis Caper.
Nunc me, inquit ille, impune contemnis quidem;
Verum, si abierit, quem fugio; tunc sentias,
A Tauri quantum viribus distet Caper.
Etenim speluncam cum praetergressus Leo
Procul abiisset, omni sublato metu,
In Caprum Taurus insilit, et eum necat.
Tibi breve tempus dum fors defendit malum,
Potentiorem ne spernas hostem cave.

XXIII.

Cornix et Urna.

HOC argumento, Lector, ostendam tibi,
Ingenium acuere quam sit apta necessitas.
Aquae Urnam Cornix olim sitiens reperit;
Sed altior erat Urna, quam pertingere
Ut posset ad aquam: tunc ipsam connititur
Effundere Urnam; nec valet. tum denique
Injectat lectos ex arena scrupulos:
Aqua sublevatur. Hoc pacto Cornix bibit.

XXIV.

VENATOR ET LEO.

CUM Venatore litigabat, et ſuam
Leo praeferebat hominis fortitudini.
Poſt longa jurgia ducit adverſarium
Venator ad mauſoleum, ubi ſculptus fuit
Jacens, domituſque viribus hominis Leo.
Sed hoc ſibi fera ſatis eſſe indicium negat:
Id etenim, dixit, ſculpunt homines, quod volunt;
At ſi Leones ſculpendi artifices forent,
A ſe proſtrati quot viderentur viri?

XXV.

CORVUS ET SERPENS.

SErpentem Corvus eſuriens loco videt
Aprico dormientem: ſimul in hunc volat;
Rapitque. At ille mox ubi ad ſeſe redit,
Corvum remordet; qui ſe moriturum brevi
Cum jam ſentiret, heu! me, dixit, qui lucrum
Hîc, unde pereo, mihi ſperaverim fore!
Fabella ſpectat homines incautos, quibus
Id, quod cupiêre, saepius damnum creat.

XXVI.

RUSTICI ET SARMENTA.

DUO cum quondam Ruſtici ad littus maris
Sederent otioſi; navem conſpicor,
Unus ait, eamque permagnam mehercule.

Poſt paulo dixit alter: ego vero id nego,
Hanc eſſe navem; at eſſe contendo ſcapham.
Expectant; demum ſarmenta appelli vident.
Magnam ex longinquo quae reverentiam movent,
Ubi coram aderunt, ſaepe erunt contemptui.

XXVII.

Avis, ejusque Pulli, et Villicus.

Monuit locatos in ſegete Pullos Avis,
Ut diligenter, hinc dum abeſt, attenderent,
De meſſe fieret ſi ſermo. Pulli anxii
Redeunti narrant matri, amicis Villicum
Suis mandaſſe curandum id negotii.
Reſpondet Mater, eſſe nil periculi.
Item trementes nuntiant alio die,
Propinquos, operam ne recuſarent ſuam,
Rogatos. Ut ſint ſecuri, rurſus jubet.
At illa demum ut audiit, cum filio
Statuiſſe Villicum, ipſo ut mane poſtero
Inciperent ambo triticum ſuccidere;
Fugiamus inde, nati, tempus eſt, ait.
Stultum expectare ab aliis, agere quod queas.

XXVIII.

Crocodilus et Vulpis.

De nobilitate gloriabatur ſua,
Plureſque Vulpi inſtabat commemorans avos
Crocodilus, unde recta veniſſet via.
At Vulpis, unde venerim, dixit, minus
Me id angit, quam quo vadere liceat mihi

XXIX.

Ursus, Leo, et Lupus.

Correptum, jamque ſtrangulatum, mandere
Parabat Urſus hinnuleum famelicus.
Leo, ſiccis pariter faucibus, ſupervenit,
Et extorquere praedam violentus parat.
Urſus, qui multis antea leonibus
Reſtiterat, avida nunc ubi ſtimulat fames,
Seſe videlicet ait nolle cedere.
Exoritur ergo pugna utrimque pertinax,
Et horrida: neuter vincit; neuter ſe imparem
Sentit; pugnantque, dum defecti viribus,
Et hinc, et inde ſimul in terram corruant.
Cum ſic jacerent languidi, accedit Lupus,
Cauſamque tollit hinnuleum certaminis;
Quem ſibi videntes impune abripi, invicem
Dixere: miſeri ſtrenue pugnavimus,
Ut latro pugnae ferret omne praemium!

XXX.

Asinus Dominos mutans.

APUD olitorem peragebat Aſinus dies,
Multum laborans, ut videbatur ſibi,
Parumque comedens: ergo ſe plus duriter
Haberi, quam fas, juſque vellent, credidit.
Jovem rogavit, ſortem ut mutaret ſuam:
Ejuſque precibus exoratus Jupiter
Operam navare figulo eum deinceps jubet.
Sed ferre coenum, ac tegulas dum cogitur

Indefinenter, hanc etiam ſortem pati
Iniquiore, quam prius, mente incipit:
Mutare dominum, imprudens, rurſus expetit,
Rurſuſque auditur, lege ſed poſita tamen,
Ut haec quaecumque fuerit ultima ſors, ferat,
Neque ſperet aliam deinde venturam vicem:
Is cum annuiſſet, obtigit Coriario:
Tum, quid rogavi, dixit lamentans? heros
Apud priores vivere ſatius fuit;
Namque ille poſtquam multis me laboribus
Necuerit, parcet ne corio quidem meo.
Quamvis acerba ſors erit, eam ſuſtine,
Ne pejor fiat, obtrectare ſi velis.

XXXI.

Aper et Cerva.

FErus acuebat dura ilice dentes Aper:
Quem conſpicata Cerva, cur, inquit, facis
Id quod, ut opinor, nunc fieri nil indiget?
Nam nullus hoſtis, aſpice, occurrit tibi,
Circumque paces omnia celebrant bonas.
At ſetiger: non abſque cauſa facio, quod vides;
Etenim pugnandi cum mihi tempus venerit,
An tunc fore putas dentes acuendi locum?
Sero parantur arma, cum hoſtis ingruit.

XXXII.

Asinus et Equus.

EQUO invidebat Aſinus, quod totos licet
Male otioſus ille ceſſaret dies,
Tamen aleretur delicate et largiter;

Laboribus ipse dum perpetuis interim
Exercitatus, vix alimonii satis
Et insuavis, et vilis, habet, quod queat
Efficere, vita ne se misera deserat.
Sed ad pericla belli postmodum videns
Equum apparari, jam suam sortem incipit
Diligere; et, Asinum vivere, inquit, me juvat.
Eorum, qui beati creduntur, mala
Videre, miseris non leve est solatium.

XXXIII.

Æthiops.

SIBI loquacem contigisse Mulierem
Dum Vir conqueritur, et frenum celerrimae
Imponere linguae mille tentat artibus,
Operamque perdit; sic Aesopus incipit
Narrare: servulum Aethiopem quidam emerat;
Cujus nigrum colorem contractum putans
Fuisse propter solam negligentiam
Domini prioris, usque, et usque hunc institit
Lavare, donec immodica vexatio
Eo coëgit miserum, ut morti occumberet.
Corrigere qui vult naturam, Aethiopem lavat.

XXXIV.

Muscæ.

EFfusa mellis copia est: Muscae advolant,
Comeduntque; sed mox impeditis cruribus
Revolare nequeunt. Heu! miseram, inquiunt, vicem!
Cibus iste blandus qui pellexit suaviter,
Nunc fraudulentus quam crudeliter necat!
Perfida voluptas hoc exemplo pingitur.

XXXV.

VESPERTILIO ET MUSTELÆ.

HUC, illuc temere dum volat, caſu evenit
Ut in Muſtelae nidum Veſpertilio
Irruat, in ipſoque capiatur impetu.
Haec autem, acerbo quoniam erant omnes ſibi
Odio volantes, ſic mei, inquit, caeteri
Hoſtes perire poſſint precor, ut tu modo
Peribis! praedamque ſimul vexat unguibus,
Ac devorare jam parat. Periculum
Perſentit ille; ſeque murem, non avem
Teſtatur eſſe; cumque feciſſet fidem,
Abeundi, quo placuerit, libertas datur.
Sed inde (tanta eſt ejus imprudentia!)
In aliam rurſus, nec multo poſt, incidit
Muſtelam, cunctis muribus quae maxime
Eſſet inimica: quodque murium in genus
Mihi fervet odium, morte protinus tua
Solaberis, ait. At quis error te malus,
Reponit ille, decipit? cave, obſecro,
Ne pecces id quod poſtea infectum, ſoror,
Volueris fruſtra: non ego ſum, quem tu putas,
Aliquis de gente murium infeſtiſſima:
Male mures pereant; vivat avium gens: avis
Ego ſum; quod alis, aſpice, en meis tibi
Probare poſſum. Muſtelae haec oratio
Honeſta viſa eſt; ſicque praeſentiſſimam
Evaſit iterum Veſpertilio necem.
Haec vita fragilis ingenium verſabile,
Variumque, variis pro periclis, expetit.

XXXVI.

Hoedus et Lupus.

HOEdilis ipſo tutus in faſtigio
Cum ſtaret Hoedus, inde proſpicit Lupum,
Qui praeteriret; ac ſimul, quantum poteſt,
Conviciari coepit. Reſpondet Lupus:
Non tu, ſed iſte nunc locus illudit mihi.
Audacia nulla eſt, nullum ubi periculum.

XXXVII.

Tubicen et Hostes.

DElapſus in victrices Hoſtium manus
Tubicen, rogabat, innocentem ſe virum
Ut ne, quod facere jam parabant, caederent;
Et hominem, aiebat, occidi unquam neminem;
Eaque ſola, quam libens tradam, tuba
In auras ſpargere futiles didici ſonos.
At illi: meritae tu tamen occumbes neci,
Hocque magis etiam, quod pugnandi ſis licet
Ipſe imperitus, alios ad pugnam excites.
Fabella oſtendit, hunc qui impellit ad malum
Plus peccare ipſo, qui malum inde perpetrat.

XXXVIII.

Accipiter et Cuculus.

CUculum amaris increpaverat jocis
Accipiter, ipſi quod pares quanquam dedit
Natura vires corporis, animo tamen
Dejectus humili, veſci malit vermibus,
Quam carnes avium habere ſuaves in cibos.
Paucis diebus deinde tranſactis, videt

Cuculus illum, quem necarat Rusticus,
Pendere summo turris e fastigio,
Ut alios poenae terreat similis metu
Accipitres, ne columbas praedari velint;
Tibique, dixit, solis vesci vermibus
Si maluisses, quanto nunc melius foret!
Fortuna tenuis paucis est periculis
Obnoxia; ipsam tenuitas sua protegit.

XXXIX.

Capones duo.

Simul Capones nutriebantur duo
In ornitzone inclusi; at horridus, et macer
Languebat unus; alter pinguis, et nitens
Suam jactabat speciem, et corpulentiam,
Sociumque prae se contemnebat, et probris
Amarulentis non leves injurias
Super etiam addens, opprimebat miserulum.
Interea herilem amicus advenit domum;
Ac delicatas ipsi cum dapes herus
Apponere vellet, pinguem Caponem necat,
Macrum relinquit; socium qui suum videns
Cum perimeretur, nunc ego me, dixit, scio
Qui sit miserior; tu nempe ipse, qui modo
Beatus insultabas miseriae meae.
Sortem improborum suffer, quos donis suis
* Fortuna cumulat: hos saginat, ut immolet.

* Commirius, uti postéa animadvertimus, in fine fabulae de Tauro saginato memoraverat victimas,

Fortuna quas saginat, uti sibi immolet.

de nostra hujus imitatione, quanquam fortuita, monendum censuimus.

XL.

Aranea et Hirundo.

ARranea quondam exarſerat in Hirundinem,
Irata, muſcas, veſci quibus ipſa aſſolet,
Quod illa caperet ore ſuraci volans.
Ergo vindictae cupida, nec, res exitum
Quem ſit habitura denique, ſatis providens,
Textilia ad altas retia ſuſpendit fores,
Qua pervolare ſaepe inimicam noverat.
Enimvero illa concitatos impetus
Mox advolando huc dirigit; ſed retia,
Textricemque ſimul aera per medium rapit,
Portatque nec novi oneris quidquam ſentiens.
Tunc miſera tractus per profundos aëris
Aranea pendens, hanc, ait, juſte vicem
Experior, genera quae volantium infima
Cum vix labore magno praedari queam,
Capere aves poſſe tam magnas putaverim.
Majora viribus aggredi ratio vetat,
Sed ratio, et via quid commune conſulunt?

XLI.

Vulpis et Herinacius.

SAmii cum vellent dedere neci, publicae
Rei adminiſtrum, furtis ditatum ſuis,
Aeſopus tali fabula deterruit.
Tetram in lacunam forte Vulpis incidit;
Nec potuit exire, impeditis cruribus
Limo tenaci. Et hanc ſimul magno agmine

Muſcae advolantes ſubtilibus aculeis
Adfligere certant. Quam videns Herinacius
Parabat, quippe motus miſericordia,
Malas abigere volucres; illa ſed abnuit;
Meoque, dixit, haec jam plenae ſanguine
Parvam creare poſſunt mihi moleſtiam;
Aliaeque abactis ſuccedant famelicae,
Quae, mihi quod reliquum ſanguinis eſt, exhauriant.

XLII.

JUPITER, MODESTIA, ET VIRTUTES CAETERÆ.

VArias Virtutes cum creaſſet Jupiter,
Quae dulces homini et utiles comites forent,
Produxit ultimam omnium Modeſtiam:
At ipſi in homine nulla ſedes eſt ſuper
Relicta, quam non e ſororibus ſuis
Aliqua occupaſſet: quod animadvertens, tibi
Nullam quidem, inquit Jupiter, ſedem licet
Habere propriam, his caeteris qualem dedi:
Sed iſtae quoties emicare incoeperint,
Te ſimul adeſſe jubeo; ne quid audeant,
Quod non tuo ipſa more blando temperes.
Hinc uſque laude vera Virtutes carent,
Quibus Modeſtia pretium non addidit.

FABULARUM

AESOPIARUM

LIBER QUARTUS.

PROLOGUS.

AB illo vetere, ſimplici, mundo ſtylo
Magis receſſit in dies Latinitas,
Romana pubes quo ſe exercuit minus
In ſcriptitandis verſibus ſenariis,
Quales Poëtae non modo omnes ſcenici
Veteres ſolebant in ſuis comoediis
Uſurpare: imo et alii ferme caeteri
Veteres poëtae, ſi qua praeſertim vafrae
Lubido Muſae ſcriptionem ludicram,
Menippeamque concinnare juſſerat,
Metrorum amabant hanc libertatem ſequi
Suavem profecto, nec minus vocabulis,
Quam rebus ipſis pangendis aptiſſimam.
Romanorum ille Varro qui doctiſſimus
Ante, et poſt fata dictus eſt, hujuſmodi
Senariorum millia multa ſcripſerat;
Seu collocaret defricandis moribus
Operam, et per urbem ſpargeret lepidos ſales;

Seu fabulosas festiveque texeret
Narrationes, monitisque ornaret bonis
Communem vitae ad usum pertinentibus.
Olim haec fuere. Sed mox tam liquidum genus
Scribendi, tamque delicatum respuit
Illapsa sensim argutiarum cupiditas,
Demumque turbo Cordubensis obruit.
Jamque hae regnare pestes late incoeperant,
Suas fabellas Phaedrus cum primum edidit:
Et hinc est forte, ad nos quod ille venerit
Nullo approbatus veterum testimonio;
Pauloque post e vivis quam decesserat,
Sibi hunc fuisse haud cognitum Seneca * indicet.
Meo quidem judicio, si Phaedri stylus,
Si ingenium, et ista aequabilis festivitas
Aliquando fuerint Romanis contemptui,
Apud eos artem eloquii, et gustus indolem
Fuisse paulum corruptas oportuit.
Illius ergo semita qua monstrat viam,
Presso obstinatus ingredi vestigio,
Pergam innocentes expolire fabulas.

* *Consolat. ad Polyb.* cap. 27. Non audeo te usque eo producere, ut fabellas quoque et Aesopeos logos, *intentatum Romanis ingeniis opus*, solita tibi venustate connectas.

FABULA I.

Sus et Leaena.

FEcunda Sus Leaenae vertebat probro,
Catulum quod unum quolibet partu ederet.
Unum, at Leonem; retulit indignans fera.
Res dignitate praevalent, non copia.

II.

Puer et Carduelis fugitivus.

DE Carduelis ingrati dementia
Afflictus olim conquerebatur Puer,
Quod illum quanquam delicatioribus
Alere ſolebat, ipſe nutritor, cibis,
Tamen a ſe abiret fugitivus; dein ſupplicans,
Revertere, inquit, amicule mi, revertere;
Amaritudo nulla mihi pectus movet,
Pacemque tecum, ſi reverteris, bonam
Reconciliabo: et iſthaec elegantula,
Formoſa cavea, quam relinquis, nil habet,
Mihi te quod reddat poenitentem transfugam?
Haec Carduelem oratio jam coeperat
Mutare, ut eſſet non inexorabilis;
At ſolo caveae nomine audito avolat.
Pulchrum eſſe, ut aiunt, carcerem nullum, hinc patet.

III.

Pastor et Mare.

PEcudes cum egiſſet Paſtor ad littus Maris,
Undamque leni cerneret pellacia
Ridentem, ſtudio navigandi captus eſt:

Oves ergo ſuas commutavit dactylis,
Quibus navigio impoſitis, magna animo movens
In altum ſolvit. At tempeſtas ingruit;
Et cum veniret in vitae periculum,
Sua ipſe moerens omnia in fluctus bona
Projecit, et vix repetiit portum miſer,
Oves ibidem denuo cum paſceret,
Placidaque ſtaret unda; dactylos, ait,
Doloſa, video, rurſus, at fruſtra, cupis.
Uſu pericli vita fit peritior.

IV.

Leo, Asinus, et Vulpis.

VEnatum iere Vulpis, Aſinus, et Leo:
Praeda ampla facta eſt: hanc Aſinum Leo jubet
Partiri; ſingulaſque partes ſingulis
Aequales ille cum poneret, eum ferus
Rapit, laniatque: poſtea Vulpeculae
Dat idem negotî; quae cum, longe aſtutior,
Partem Leoni poneret longe optimam,
Minimam particulam vix reſervaret ſibi;
Leo, a quo fuerit tam bene docta, quaeſiit.
Me, retulit illa, docuit hujus calamitas.

V.

Musculus et Felis.

OBambulabat, editus in mundum recens,
Muſculus; et illam ſingulis animantibus
Communem lucis uſuram dum carperet,
Prae gaudio alacer, ac properaret vivere;

Sibi vacantem graviter, et magnum nihil
Meditantem capite immobili, Felem aſpicit:
Mitis profecto bellua, inquit, en adeſt;
Ipſoque vultu ſpirat ſanctimoniam;
Hanc compellare, et, ipſa ſi non abnuat,
Connectere modo vincla amicitiae lubet.
Accedit ergo propius. At exertis ſimul
Improba eum Felis unguibus capit, et vorat.
Modeſta ſpecies non hominem ſanctum probat.

VI.

Invidus et Avarus.

INvido, et Avaro Jupiter quondam annuit,
Peteret alteruter id quod optaret magis,
Mora nulla, votis rem ſucceſſuram ſuis;
Ea lege tamen, ut, petenti quod datum
Fuiſſet, duplum tribueretur alteri.
Honeſtam certe, nec mihi viſam hactenus
Benignitatem impertit hodie Jupiter,
Secum ait Avarus; illam nos autem decet
Apponere lucro, quam licebit maximo;
Parcamus igitur votis imprudentibus
Praeire ſocio. Pro ſua parte Invidus
Attenta mente pariter omnia ponderat;
Poſtquamque ne quid peccet imprudens, ſatis
Sibi praecaviſſe viſus eſt, ultro prior,
Quo vota tendant, aperit; et oculus rogat
Sibi eruatur unus: hoc pretio lucrum
Sibi eſſe reputat ſocio geminos erui.
Ubi fingit aliquid eſſe venturum boni
Cupido caeca negligit praeſens malum.

VII.

GALLUS, ASINUS, ET LEO.

IN agrum eumdem Gallus, Asinus, et Leo
Venere; Gallus, grana ut quaerat tritici;
Asinus, palatum carduis ut tergeat;
Leoque, praedam si quam inveniat, ut voret:
Adest inventus Asinus: hunc ergo neci,
Occurrit quando nil melius, jam destinat.
Irruit: at ecce Gallus argutissimis
Percellere auras cantibus simul incipit;
Simulque fugere cogitur Leo territus.
Gallo * hanc natura nempe virtutem dedit,
Sola ut Leones voce vertat in fugam.
Tunc Asinus autem, fugere trepidantem feram
Ubi videt, se terribilem stulte existimat;
Illamque credit, ex sui nimio metu,
Fugere, suumque ne ferre aspectum quidem
Potuisse; ac tanta caecitas animum tenet,
Ut etiam persequatur, ignavam vocans.
At Galli acutos cum Leo tandem sonos
Minus exaudiret, sistit, obvertit caput;
Miratus Asinum venientem, huc infert gradum,
Stultamque pecudem strangulatam devorat.
Stultitia junctam si fors arrogantiam
Habeat, auctores certum in exitium trahit.

* Quin etiam Gallum, noctem explaudentibus alis,
Auroram clara consuetum voce vocare
Nenu queunt rapidi contra constare Leones,
Inque tueri: ita continuo meminere fugaï.
Lucretius. lib. IV. vers. 714.

VIII.

Miluus, Corvus, et Aquila.

Rapuerat carnem, et auferebat Miluus:
Sed illam Corvus esse contendit suam,
Sibique raptam clamat, et furem arguit:
Utque omne crimen semper est obnoxium
Negationi, injusta de calumnia
Iratus alter postulat adversarium,
Et se furem esse jurejurando negat.
Fortasse Corvus, aperta vi irruens, queat
Id recuperare, quod sibi raptum dolet;
Sed novit hostem, quam sit rostro, et unguibus
Pugnare non inhabilis; remque maluit
Finiri legibus: ergo in jus eum vocat:
Cumque huc Aquila venisset, hanc humilis cliens,
Ut ne gravetur esse sibi judex, rogat.
Ea, subditorum quae secandis litibus
Debere se operam crederet, non abnuit;
Statimque carnem, quae jurgandi occasio
Discordibus erat, ad se deferri jubet;
Quam, jussa metuens detrectare, Miluus
Sanctum ad tribunal posteaquam detulit;
Secedite, inquit illa; decretoriam
Sententiam ipso crastino die feram.
Condicta venit hora: Corvus adfuit:
Sed expectatus cum foret satis diu,
Nec compareret Miluus; Aquila exhibet,
Jam vacuam ab omni controversia, dapem;
Adjudicansque Corvo, sic pronuntiat:
* Fatetur facinus is qui judicium fugit.

* *P. Syrus.*

IX.

Equus et Lupus.

TUtus ſatis praeſidio virtutis ſuae
Sonipes cum ſolus paſceret in ſylvis, ei,
Quam modo praedatus fuerat, oſtentans ovem,
Beatitates jactabat ſuas Lupus;
Mirorque, dixit, quod tu tantis viribus,
Animiſque tantis praeditus, viles cibos
Et inſuaves ab ipſa decerpens humo,
Vitam infelicem tolerare potius velis,
Quam, tot meis edoctus exemplis bonis,
Vi rapere pecudes, fortioris praemio
Frui, veſcique jurulentis carnibus.
Non hanc profecto, retulit indignans Equus,
Tuam tibi ſortem invideo, quam miſerabilem,
Et execrandam judico. Vitam quidem
Ego minus vivo pinguiter; et habeo tamen
Pabula, naturae quantum ſufficit meae:
At proſum hominibus; et meum nomen ſuis
Apud eos claret inſignitum laudibus:
Contra perpetuis imprecationibus
Omnes petunt te, publicam omnium luem;
Et inter iſta, quae bona falſo nuncupas,
Vivis pudenda infamiae aſperſus nota.
Illum tu ſanus infelicem judica,
Qui ſe beatum cum fama dicit mala.

X.

Leaena et Ovis.

OVEM Leaena rapuerat; ſed eam tamen
Lege moriendi miſericors exemerat,
Inque famulatum ſumpſerat etiam ſibi;

At valde eandem cum diligeret, in cava
Sui latibuli ſedulo incluſam ſpecu
Tenebat inter putridas cadaverum
Reliquias. Miſera conſumebatur bidens
Faetore acerbo, lentiſque cruciatibus
Necem obibat multam, nec tamen audebat queri:
Tantum gemens aiebat intra ſe: * heu! dolor!
Quam miſer eſt, qui in tormentis vocem non habet!

XI.

VIR SAPIENS, ET EJUS INIMICUS.

VIR ſapiens, etſi neminem unquam laeſerat,
Inimicum habebat, qui celare quod diu
Tentarat, odium frangere ultra non valens,
Verba inter aſpera graves ediderat minas.
Simul audierunt, territi properant, monent
Amici. At ille, jam mihi, inquit, noveram
Inimicum hunc eſſe; nec leves is, quamdiu
Latere voluit, fateor, incuſſit metus:
Sed eum fuiſſe factum pejorem mihi
Falſo putatis: eſſe clanculum malus
Cum deſinit hoſtis, eſſe tunc bonus incipit.

XII.

CATELLA.

CAtellam, valde amatam, delicatius
Paſcebat manibus ipſa ſuis muliercula;
Nec alias illa ferre potuiſſet manus,
Quamvis dediſſent ordinarias dapes.

* *P. Syrus.*

Sed cum repente, fatis ita jubentibus,
Domina abiisset illuc, unde neminem
Redire dicunt; in potestatem venit
Hominum Catella, qui nullas ei, ut prius,
Benignitatum delicias indulgeant,
Sed illam potius, veluti si gregariis
De canibus esset aliqua, miserias pati
Cogant acerbas victitando duriter;
Etiamque saepe tecto abigunt interdiu,
Mittuntque noctu exclusam, ah! dormitum foris.
Miranti interea caeteras canes, quibus
Non melius esset, quam sibi, et suam tamen
Quae sortem non dolerent, una sic refert:
Haec vitae ratio, quae novitiae tibi
Videtur aspera, usu et assuetudine
Idonea nobis facta est, nuncque etiam placet;
Tuasque quondam si fortuna minus favens
Beatitates aliqua intercapedine
Disturbavisset, illud, quod nunc te negas
Tolerare posse, ferres vivendi genus.
Nimis beata vita venturae nocet.

XIII.

Rusticus, et Asellus.

Asellum agebat Rusticus, onustum probe,
Ejusque quantum viribus satis foret.
Cum carperet iter per frutetosum locum,
Ni sum falsus, ait, hinc prope a me conspicor
Virgulta, quorum non sit usus futilis;
Faciuntque prorsus ad meam cupidinem;
Operae ergo pretium fuerit haec decerpere:

Ohe, resiste, Barde: id oneris additum
Feres, nec, opinor, magno incommodo tuo.
Resistit Asinus; nec mora, imprudens herus
Virgulta caedit, mundat, aptat, colligat,
Pondusque justo ponderi imponens novum
Quadrupedis armos premere plus justo incipit:
Tamen eum, vel sic, progredi viam videns
Satis expedito incessu, sarcinam putat
Non esse tantam, ut non aliquantulo magis
Illam aggravare sine periculo queat;
Sibi ergo lapidum cum strues occurreret
Juxta viam seposita, et ex illis duos
Videret, qui placerent sibi prae caeteris,
Stulte, inquit, facerem, si, mihi quod objicit
Fortuna tam benigna, negligerem bonum;
Atque duo lapides, quos facile tollit manus,
Quantillum est oneris? hos et, Aselle mi, feres.
Negant, heu! ferme officium vires: fert tamen
Pecus misella; omnis etiam, recolligit,
Quidquid vigoris in se est, reliquias breves;
Ita ut miretur, gaudeatque Rusticus,
Asinum sibi esse talem, quem nullus labor
Impediat; cumque nudum incedere gravior
Suaderet aestus, detrahit vestem sibi,
Et caeteris quoque impedimentis eam
Non dubitat super ingerere, nil dum suspicans,
Quanto prope esset Bajulus infelix malo
Ut conficeretur denique: enimvero in via
Grave offendiculum cum fefellisset pedem,
Simul ille cadit, et sarcina oppressus perit.
Qui minimus, saepe summus est mali gradus.

XIV.

SUPERBA ANXIETAS, sive MUSCA, REGULUS, ET TROSSULUS.

AEstate media sex anhelantes equi
Currum trahebant, aridumque ut erat solum,
Multam excitato pulvere umbrabant diem.
Temone in ipso tenuis interea sedens,
O quantus, inquit Musca, premit equos labor,
Quantusque sudor irrigat, dum me trahunt!
Sic praevalenti considere cum vult trabe,
Quae quinque crassas facile sustineat boves,
Pusillus ille, ex alitum gente infima,
Praetentat illam, subsiliendo, Regulus,
Similis timenti, ferre se ne non queat.
Sicque impudenti Trossulorum de grege,
Aliquis, ineptus, administris imperî
Creare multum se negotii putat,
At, ille vivat, an secus, hi nil sentiunt.

XV.

AVARUS ET THESAURUS.

THesaurum Avarus fossa condiderat humo;
Quem subodoratus clanculum fur sustulit.
Ergo ille rediens, vacuum ut invenit locum,
Sortem execrari coepit insanis modis.
Tum quidam sapiens, quid, ait, incassum furis?
Ubi pondus auri sterile posueras, ibi
Repone lapidem; tibi tantumdem proderit.

XVI.

Lupus natum erudiens.

Nimis ferocientem cum quidam Lupus
Natum erudire vellet sanctis moribus,
Animumque dictis fingere instaret probis,
Generi, inquit, nostro multa multi existimant
Jure exprobrari, turpem quae mereant notam:
Saevi, rapaces, furtis atque caedibus
Assueti vivere latrones, Lupi audiunt:
Isti sunt tituli, isthaec honorum insignia,
Quibus adornare nos plerique hominum solent;
Et, si fateri quod res est, nobis licet,
A veritate non aberrant plurimum:
Quod ut refutes, Nate, moderato tuo
Vivendi more, et exemplis, quantum potes,
Bonis, et ab omni furto, et fraude vacantibus,
Falsum esse ostendas, te vehementer apprecor.
Haec juniori causam plausibilem Lupo,
Et honestam habere credita est oratio;
Imoque corde penitus jam receperat
Monitus paternos, et, reluctantem licet,
Ad obsequendum comparabat indolem.
At, grege relicto quae deerraverat, viae
Ignara, utrique tunc forte aspecta est ovis;
Sanctaeque abactus omnis simul evanuit
Amor honestatis, cujus successit loco
Dirae voracitatis, caedis impiae
Libido victrix. Subito ad praedam curritur:
Capitur, necatur, manditur misera bidens:
Bona huc consilia recidere: sed utrum putas

Praesignavisse sceleri patrando viam?
Ipse, erudierat qui praeceptis tam bonis,
Fuit ipse ductor sceleris patrandi pater.
Hanc paedagogis expolivi fabulam,
Qui sancta verbis, prava sed exemplis docent.

XVII.

Edera et Agricola.

Humi serpebat Edera, itibusque lubricis
Repere contenta, non audebat altius
Erigere sese, et proximam sibi arborem
Amplecti, et excelsa adminicula prosequi;
Sed usurpare properabat totum id soli,
Quod poterat, avaris hinc et hinc illapsibus,
Ita ut feracis hortuli partem bonam
Male occuparet. Quod animadvertens, statim
Evellere malam stirpitus frugem incipit
Agricola prudens. Illa tum, nostras, ait,
Temerare frondes, barbarus quis te furor
Impellit? contine, oro, violentas manus;
Parce immerentem abolere natali solo,
Ubi pullulantes humilis insterno comas,
Inglorioque simplex otio fruor,
Nec noceo quidquam. At ille: sed prodes nihil;
Meoque in horto quod nihil prodest, nocet:
Atque haec locutus, instat diligentius
Perpurgare omnem stirpibus malis locum.
Ad otiosos cives fabula pertinet.

XVIII.

MUSTELA ET MURES.

MUſtela ſenior, ac deſerta viribus,
Mures, ut olim, non valebat aſſequi.
Dolum ergo coepit meditari: in cumulum placet
Farinae ſeſe condere; ſic ſperat fore
Ullum ut citra laborem venari queat.
Accurrunt Mures; ſed farinam vix parant
Eſitare, ſubito captos Muſtela hos vorat.
Virtutis ſaepe praeſtat ingenium vicem.

XIX.

FELIS IN FEMINAM MUTATA.

HAbebat quidam in deliciis Felem puer,
Pulcher pulchellam: ut hanc in Feminam ſibi
Mutaret, Venerem comprecatus eſt: Dea,
Miſerta cupiditatis adoleſcentuli,
Scitam in puellam transformavit beſtiam:
Cujus ſpecie ille inardeſcens, eam ſtatim
Uxorem duxit. At cum eſſent in cubiculo,
Periclum facere voluit Venus, haec, corpore
Mutato, numquid et mores mutaverit;
Muremque miſit in medium: at illa immemor
Eorum qui aderant, atque genialis tori,
Surgit, ruit, murem inſequitur, capit, comeſt.
Tum Venus indignans ſorti eam reddit ſuae.
Statum, non mores mutabunt homines mali.

XX.

Anicula et Ancillæ.

ANicula habebat plures Ancillas domi;
Easque ad cantum Galli gallinacei,
Quem sibi ad idipsum nutribat, quotidie
Ipsa excitabat, antequam lucesceret,
Ut facerent opus. At illae motae denique
Quotidiani taedio negotii,
Obtruncant Gallum, sperantes, hoc mortuo,
In multam sese dormituras jam diem:
Sed longe earum spem fefellit exitus;
Hera namque, postquam Gallus occisus fuit,
Nocte intempesta surgere eas deinceps jubet.
Mortales aliquod evitare dum student
Leve malum, in aliud saepe gravius incidunt.

XXI.

Vulpis, Asinus, et Leo.

IN saltus nemorum devios processerant
Vulpis, Asinusque, venarentur ut simul.
Dum cursitaret Vulpis, occurrit Leo;
Utque illa vidit imminens periculum,
Accedit ad Leonem, et pollicita est ei,
Asinum continuo tradituram se fore,
Impunitatem si promitteret sibi:
Qui cum illam sese dimissurum diceret;
Asinum scelesta in casses incautum trahit:
Sed hunc effugere non posse ut Leo videt,

Vulpem ipſam primo comprehenſam devorat,
Ad Aſinum edendum convertit ſe poſtea.
Se perdunt ſaepe, ſocios qui perdunt ſuos.

XXII.

Miluus ægrotans.

DIcebat Matri Miluus aegrotans ſuae:
Quid lamentare fruſtra? quin potius Deos
Precibus exoras, Mater? illa ſed refert:
Deorum, Nate, quis miſerebitur tui?
In orbe nullus in vota vocatur Deus,
Cujus aliquando templa non foedaveris,
Et conſecratas non violaveris dapes.
Nemo adjuvare, qui nocet cunctis, velit.

XXIII.

Pardus et Vulpis.

MElius cavillis, quam verbis prudentibus,
Reprimitur ſaepe ſtulta gloriatio.
Superbiebat Pardus, quod varius color
Suo datus eſſet corpori. At Vulpis jocans,
Meus, inquit, animus et varium, quoties libet,
Capere colorem novit; ac tanto magis
Te noſtrae oportet dignitati cedere,
Quanto plus vili praeſtat animus corpore.

XXIV.

Deus Ligneus.

DEUM quidam olim Peruanus Ligneum
Colebat; ac rogabat, ut aliquid boni
Sibi tribueret: ſed fiebat interim
Magis, magiſque res anguſtior domi.

Ergo vehementi denique ira percitus,
Deum, apprehensis cruribus, magno vibrans
Conatu intorquet; ac muro illidit caput.
At ecce, quantum vix unquam cupiit, simul
Effracto capite multa vis auri effluit:
Quod ille admirans dum recolligit, mihi
Nil, inquit, profuisti, quamdiu bene
Tibi feci; nunc, cum noceo, prodesse incipis?
Abi autem procul, inepte, et futilis Deus!
Nihilo plus his mulieribus improbis vales,
Quae, nisi male habitae, nullum opus faciunt bonum.

XXV.

Duo Juvenes et Ursus.

Cupido stulta juvenes incessit duos
Sylvam explorandi, trucibus infestam feris.
Dum diligenti se invicem studio excitant,
Ut omnem corde porro propellant metum;
Simul e propinquo, praedam odoratus, specu
Erumpit Ursus; et illi simul exterriti
Trepidare. At alter, ut erat agilis, et levis,
Quam primam reperit, altam, scandit arborem:
Humi decubuit alter; sive didicerat,
Ursis id esse moris, ut depascerent
Viventium artus, mortuorum spernerent;
Seu potius ipse dejecerat hominem metus,
Prostraveratque non absimilem mortuo.
Hunc versat omnes Ursus in partes; suum
Ad os jacentis, et nares, rostrum applicat;
Nullumque postquam spiritum sentit, procul
Abeamus, inquit; istud omnino liquet

Cadaver esse; jamque foetere incipit.
Quem cum prospexit abscessisse longius,
Ex arbore tandem timidus descendit comes,
Sociumque prensans, plurimum tibi gratulor,
Amice, dixit, tanto quem periculo
Ereptum video: sed rescire pervelim,
Ad te jacentem cum propius accederet,
Tecum tacite fera videretur loqui,
Tibi forte arcani numquid instillaverit.
Multa, inquit ille, monuit; ac primum omnium,
Ut inde citius, quam adveni, recederem.

XXVI.

Bos et Equus.

VIridantis inter prati delicias, Boves
Pleno carpebant ore pinguitudinem:
Quorum unus, advenire cum inciperet sibi
Bonorum ab ipsa nimietate taedium,
Juncos rigentes proximi lacus petit,
Sperans ibi aliquod irritamentum gulae
Posse reperiri: sed simul vestigium
In ora posuit uda, crassi corporis
Obesitate defixus, inhaesit luto.
Illum tenacibus impeditum angustiis,
Ac frustra exire tentantem, socii vident;
Illumque, longis cum sibi mugitibus
Opem, dare vellent, imploraret, audiunt:
Neque commovere quidquam eos sentit miser.
Forte, macilentus, et multis laboribus
Exercitatus, atque miseriis, Equus
Prope hinc advertit infortunium Bovis;

Hujusque miseret: ergo ferre opem parat;
Et efficacem diligentiam incipit
Simul adhibere: calcibus partim ejicit,
Teritque partim, sicque deprimit lutum;
Facilemque demum tramitem Bovi facit:
Qui tale gratus admirans beneficium,
Satis unquam, dixit, hancce misericordiam
Laudare possum? nam quid autem te impulit
Ut me adjuvares, cum propinqui etiam mei
Me derelinquant omnis auxilii indigum?
Equus reponit: hi bonis videlicet
Usque affluentes dum vivunt, sola frui
Sua beatitate norunt; ast ego
Miseris adesse didici haud ignarus mali.

XXVII.

Puer et Trochus.

Sonante loro dum Trochum exagitat Puer,
Cur cogor, inquit, orbes ut, quales volo,
Ineas, tam crebro te ferire? cui Trochus:
Nempe ut tibi animos plagae dant, ita et mihi.

XXVIII.

Leo, Agnus, et Cerva.

Agnum vorare dum Leo inventum parat,
Non procul hinc accubantem Cervam conspicit;
Simulque praedae melioris cupidine
Pellectus, petit hanc; viliorem, quam tenet,
Respuit. At hujus Cerva venientis sono
Admonita, promptos in pedes se conjicit;

Et inſequentem pernici eludit fuga.
Hanc denique ille non valere ſe aſſequi
Ubi videt, primam, quam ſtulte reliquerat,
Praedam repetere ſtatuit: at ſero redit:
Agnus enim tuto jam recepit ſe loco.
Sicque Leo, nimium quod cupierit, nil tenet.
Hos fabella notat, qui, meliora dum petunt
Non obtinenda, negligunt praeſens bonum.

FABULARUM

AESOPIARUM

LIBER QUINTUS.

PROLOGUS.

HOS annos ante ſeptuaginta libris
Stylo Latino rite compoſitis ſuus
Honos erat adhuc, ſuaque laus in Gallia.
Nunc tale vix eſt qui ſuis opus velit
Subjicere praelis typographus; vel ſi audeat,
Magnum eſt periculum, emptor ne ſuus libro,
Suuſque lector deſit. Tanto obnoxiam
Latinitatem fecit deſpecatui
Indocta morum facta commutatio!
Enim profecto hanc imperitis moribus
Objicio culpam; quod virum Gallum, ingenî
Cui vis, et apta diſſerendi copia
Conceſſa fuerit, nunc plerique vix putent
Hominem eſſe ſanum, ſi Latine ſcripſerit;
Saltem inficeto, pravoque ejus indolem
Fuiſſe ſtudio corruptam dijudicent.
Tamen Latinum quemque ſcriptorem optimum
Vetuſtum aſſidua recte verſari manu

Pars nostrorum hominum sanior nondum negat.
Ergo et tentare, num illa, quae toties legas,
Imitando demum aliquatenus valeas tuis
Aequare scriptis lingua eadem differens,
Minime videri absurda res haec debeat.
Quippe utilis erit talis aemulatio:
Sic namque fiet familiarior in dies
Latinitatis aureae scientia;
Ejusque porro varias optimas opes
Frequentiori fas erit commercio
Habere retendas. Sin minus; brevi accidet,
Superba gentis arrogantiâ, sibi
Ut occludantur limpidi fontes bonae
Antiquitatis; cujus ingenuae quidem
Veneres, salesque lepidi, et ars aequabilis
In libris, quos nunc Gallica expolit manus,
Plerisque nullum jam fere inveniunt locum.
Hac ipse commotus aliquantulum fui
Iniquitate temporum, et deterritus,
Ne quid Latine scriptum mandarem typis.
At primum in istis, quas polivi, fabulis
Satis expedita cum sit simplicitas styli,
Brevitasque, et sensus varietas probabilis;
Legendas modico speravi fastidio,
Venturasque etiam in multitudinis manus.
Tum si longe aliter accidat, paucissimis
Contentus esse decrevi lectoribus,
Satis beatus, hi modo sint similes tui,
Optime SALERI, qui lepore candido,
Et arte lucida, et opibus cunctis bonae
Antiquitatis jam diu mentem tuam,
Bonam ipsam et alacrem, ornare pulchre noveris.

Nunc ſi increpabit lector impatiens morae
Hunc forte paulo longiorem prologum,
Saltem hanc inibit gratiam ex me, quod ſibi
Verboſa nulla fiet excuſatio:
At fabularum quae mearum pars erit
Extrema, quintum protinus librum dabo.

FABULA I.

Camelus.

PRimum ut Camelus visus est, perterriti
Fugiebant homines: procedente tempore,
Animadvertentes ejus mansuetudinem,
Adeo confisi sunt, ut ad illum accederent:
Sed ubi cognorunt nullam tantae belluae
Inesse bilem, sic eam contemptui
Habuere, ut etiam fraenos illi imponerent,
Et circumagendam pueris traderent suis.
Fabella ostendit, usu, et consuetudine
Minui timores, sensimque evanescere.

II.

Viator et Lapides.

ISTI me lapides hercle conficiunt gravi
Labore, cursumque etiam, nec mediocriter,
Praepediunt; talem cur molestiam fero,
Inquit Viator saxosam ingressus viam?
Simulque lapides, quotquot obstant, incipit
Tollere, et ejicere, et expurgare limitem,
Facilius agere qua sese possent pedes.
Sed quis enimvero fructus hinc demum redit?
Duplum laborem, duplam is impendit moram.
Homines hoc saepe, sufferendum quod foret,
Stulti, minuere dum volunt, augent malum.

III.

VULPIS ET CERVUS.

MAlevola Vulpis, et inimico percita
Invidiae motu, Cervum incesserat probris:
Sed, quanquam acuta, ac diligens malignitas
Perviderat omnia, unam ad extremum tamen
Exilitatem tibiarum objecerat.
Cui Cervus aliquam non modo haud retulit vicem,
At laetus etiam, et ipse gratulans sibi,
Mea me, dixit, esse contentum satis
Specie decebit, livor in qua perspicax
Id unum vitii, tantulumque, notaverit.
Invidia quaedam est, quae, quos carpserit, juvat:
Quod non vituperat, laudat malevolentia.

IV.

CARBONARIUS ET FULLO.

FUllonem cum rogaret Carbonarius,
Ut una secum, quam domum conduxerat,
Habitare vellet; quod rogas, non expedit,
Respondet Fullo; quae facerem enim candida,
Carbonibus ea simul infuscares tuis.
Male socientur, quae natura discrepant.

V.

CERVUS ET VITIS.

VEnantes fugiens Cervus in vitem incidit,
Et pullulantes latuit inter palmites:
Sed mox pericli oblitus, frondemque teneram
Edendi blanda pellectus cupidine,

Vitem, quanquam illi debebat quod viveret,
Vitem ſacrilegis laedere coepit dentibus:
Ecce autem, dum liberius indulget fami,
Ramuſculorum motus excitatior,
Suam hic adeſſe praedam, venantes monet;
Qui ſubito adorti Cervum figunt ſpiculis.
Tunc ille moriens, patior hanc meritus vicem,
Dixit, meam qui ſervatricem laeſerim.

VI.

Canis et Vulpis.

DUM gloriatur, dumque Vulpe ſe Canis
Foecundiorem praedicat; Vulpis refert:
Foecunda magis es; catulos at caecos paris.
Vana intumeſcit gloria foecunditas,
Perfectione juſta ſi foetus carent.

VII.

Ager, in quo Thesaurus.

DIES adeſſe ſentiens ſibi ultimos
Agricola, juſſit filios accedere;
Agrumque, dixit, quem relinquo, vos mala
Cavete ne diſſidia cogant vendere;
Defoſſus illic namque Theſaurus latet;
Qua parte lateat, id vero ignorat pater;
At enim monenti credite, ac ligonibus
Raſtriſque glebas partem in omnem vertite:
Confidite; labor Theſaurum eruet improbus,
Ditabitque omnes. Interim moritur ſenex.
Illi imperata facere (ſpes enim lucri

Stimulat) terramque fodere, quam longa eſt dies.
Theſaurus, qualem cupierant, non eſt quidem
Inventus uſquam ; ſed agrum dum ſic excolunt,
Cultura peperit ipſa perpetuas opes.
Homini Theſaurus ingens, aſſiduus labor.

VIII.

VENATOR, PALUMBES, ET CORNIX.

TEndebat arcum Venator collineans,
Viſa Palumbe; cui Cornix: quid reſtitas?
Quae tibi minatur, hanc ſagittam non vides?
Video, inquit illa, ſed quam Venator retro
Reducat ad ſe, petere me nedum velit.
Dum ſic Palumbes miſera ſe ipſa decipit,
Volat ſagitta, nec ſibi timentem necat.
Maledica vidi lingua cum reſtringeret
Sua tela, gravius hinc tamen vulnus daret.

IX.

EQUUS JUNIOR, ET EQUUS SENIOR.

PUllus Equus herbam habebat in prato affatim
Pinguem, tenellam: luxus at guſtum obtudit,
Ipſaque creavit ſatietas faſtidium.
Eodem, vires reficiendi gratia,
Deductus forte cum fuiſſet Quadrupes
Senior; adit eum Pullus, et multa rogat
Prece, impetratque, paſcua ut ne deneget
Hinc ad meliora ducere. Erumpunt ſimul,
Et per depreſſa vallium, ardua collium,
Planaque camporum grandiunt celeres gradus:

At duplicari ductor umbras cum videt,
Cursum reflectit, perque vias notas sibi
Sensim reducit ad relicta pascua:
Eo reveniunt penitus occaso die;
Pulloque facilis ipsa nox causa exstitit
Deceptionis, qui exertis, quantum potest,
Herbam apprehendit, commolitque dentibus.
Pulchre satullum dulcis excipit sopor:
Sed orto sole rebus ut rediit color,
Expergefactus, et oculos circumferens,
Hui! fallor, inquit, an hoc idem aspicitur solum,
Quod spreveram? herba haec suavis quo facta est modo?
Respondit senior: ex labore scilicet
Collecta coenam condit insuavem fames.

X.

Gallina, et Ova serpentis.

Serpentis Ova Gallina olim reperit,
Et incubavit, dum foetus excluderet:
At illi vita vix incoeperunt frui,
Diris necarunt altricem ipsam morsibus.
Sibi nocituros, qui educat improbos, fovet.

XI.

Vulpis et Rubus.

Fugiebat acta Canibus Vulpis: in Rubum
Densum, ac rigentem, se conjecit; et Canes
Elusit: cumque pungeretur sentibus,
Etiamne, dixit, qui me servant, sauciant?
At sauciant, dum servent: nam didici malum
Ferendum esse leve, ut evitetur maximum.

XII.

Piscator et Thunnus.

Piscator olim totam qui consumpserat
Diem labore multo, nilque ceperat,
Littus repetebat tristis, cum subito scapham
Thunnus, inimicum dum fugit piscem, insilit:
Quem capiens, longus efficere, ait, quod labor
Non potuit, id fortuna quam cito efficit!

XIII.

Delphinus et Simius.

Melitaea Athenis jam propinquabat ratis:
Exorta subito dira tempestas eam
Fregit, pontoque dissipavit: hoc videns,
Miseretur, et quoscumque Delphinus potest,
Juvat, rapitque ab undis homines naufragos,
Terraeque reddit; hos et inter Simium,
Dum properat, haud discernens, in dorso levat.
Hunc cum sic veheret, forte petiit, an foret
Atheniensis? ipsa natus sum, refert,
In urbe media; primoresque civium
Mihi sunt parentes. Ergo, vector subjicit,
Piraeum nosti? sic, ait, nemo ut magis;
Amicum quippe, sanguine et junctum mihi.
Hic autem portum Simius nimis loquax
Mutavit homine. Quod simul sentit, caput
Reflexit, errorem que Delphinus suum
Intelligens, remisit in aquas bestiam.

XIV.

Fures et Gallus.

CUM Fures captum dedere pararent neci
Gallum; rogabat ille, se ut demitterent,
Hominibus quippe didicerit qui utilem
Operam navare; eosque noctu suscitet
Opus ad diurnum. At illi: tu tanto magis
Moriere; quod sic nos furari vix sinis.
Bonis placere malisque simul nemo potest.

XV.

Corvus, Asinus, et Agaso.

IN prato Asellus dum tranquille pascitur,
Exulceratum in ejus dorsum devolat
Corvus, tunditque rostro sauciam cutem.
Rudit ille, saltat; nec potest depellere
Volucrem importunam; sicque tam lepidos jocos
Praebet, ut Agaso non modo ipse Bajulo
Suo infelici non ferat opem; at rideat.
Heu! dixit Asinus, ista bis videor pati
Vulnera, dum ridet, quem juvare me oportuit.

XVI.

Amnis et Fons.

FOntem spernebat Amnis, unde originem
Trahebat; illum vix, exili murmure
Scaturientem, audiri; et inter herbulas
Tenuem, et egenum delitere dictitans:

At ſe per populos, urbeſque celeberrimas
Fragore magno volvere fluctus ſuos.
Senſit ſuperbum, et noſtra, dixit Fons, niſi
Suppeditet urna, quid habeas, quod jactites?
Fabella eorum damnat inſolentiam,
Suae qui auctores dignitatis vituperant.

XVII.

Culex et Taurus.

IN cornu Tauri parvulus quondam Culex
Conſedit; ſeque dixit, mole ſi ſua
Eum gravaret, avolaturum illico.
At ille: nec te conſidentem ſenſeram.
Dictum ſit illis, qui ſe, cum ſint futiles,
Viros tamen eſſe magni ponderis putant.

XVIII.

Mulier et Nux.

INterrogaſſe Mulier dicitur Nucem,
Cur tot lacerata plagis, fructus uberes
Magis inde ferret? cur tu pariter, Nux ait,
Verberibus afflicta melior fieri ſoles?

XIX.

Sus opima.

FOrte ad culinam Sus ſe opima contulit;
Ibique pernas, larda, botulos, dum videt,
Haec ſunt Suilla, dixit; et abiit gemens.
Placere nulla conditio felix poteſt,
Cujus odioſus praevidetur exitus.

XX.

Cera et Later.

CERA invidebat Lateri duritiem ſuam;
Quam comparari ab ignium violentia
Cum comperiſſet, ſe ipſa in ignes dejicit:
At miſera penitus liquitur, et conſumitur.
Quod uni prodeſt, alteri ſaepe id nocet.

XXI.

Lupus et Mulus.

VISUM parabat invadere Mulum Lupus;
At nomen ejus ſcire cum vellet prius,
Quî tu vocaris, inquit? iſtud me quidem
Latet, ait Mulus; audire memini tamen
A matre, nomen eſſe mihi ſcriptum pedis
In ipſa dextri poſterioris ungula;
Quod ſcire ſi vis, accede huc, legas licet.
Lupus, legendi gratia cum accederet,
Pedem ille dextrum poſteriorem ſuſtulit,
Hujuſque fronti, quanta vi potuit, ſimul
Impegit, ac ſemianimem proſtravit ſolo.
Lupus ad ſe tandem vix reverſus, heu! mali
Quantum creavit ſtulta curioſitas,
Dixit lamentans, et boni quantum abſtulit!

XXII.

Fluvii, alter perstrepens, alter silens.

AD Fluvium magno perſtrepentem murmure
Quidam viator cum veniſſet, reſtitit,
Timuitque: ſed mox auſus eſt tamen vadum
Tentare; et undas mirans altitudine

Carere, ripam facile ulteriorem attigit.
Ad alium deinde Fluvium pervenit, ſuos
Lente, et quiete fluctus qui provolveret:
Hunc pertranſire, dixit, minimus eſt labor
Tam lenem, tamque pacificum; ab iſto altero
Rapido, et irato cum tam facile evaſerim.
Simul haec locutus intrat; et abſorbet ſimul
Ipſum profunda vorticis malignitas.
Diffide, ſi quis taceat infenſus tibi:
Pleni minarum longe metuendi minus.

XXIII.

Pica et Columba.

CUM Pica peteret a Columba, cur ſua
Eodem ſemper ova poneret loco,
Hinc pullos non ignara ſemper abripi;
Cumque ea ſic facere, quippe ab omni liberam
Suſpicione, ſe ſolere ſimplicem,
Diceret; at iſta eſt ſtulta ſimplicitas, ait,
Noto ex periclo quae non ſit prudentior.

XXIV.

Avarus et ejus Filius.

EXimia poma Avarus in domus ſuae
Secretiori parte collocaverat;
At nulla, niſi quae tabida inficeret lues,
Inde extrahebat manducandi gratia:
Quod animadvertens poſtquam ſaepe Filius
Fruſtra increpavit, denique invenit viam,
Pomorum ad ipſam qua penetraret penum;

Etiam invitavit quosdam familiares suos,
Introque duxit: poma simul quaeque optima
Comedere incipiunt. Factum rescivit pater,
Succensuitque Filio damnum exprobrans:
Qui rem confessus ultro, quid damni tibi
Intulimus, inquit? poma tantum putrida
Tu comedis; integra sola nos comedimus.
Nil perdit, id qui amittit, quo uti nesciat.

XXV.

ILICES.

RECTAE, et procerae contemnebant Ilices
Unam inter ipsas, quae torta, et humilis foret:
Lignarius autem cum venisset huc faber,
Caeduntur omnes illae, at haec relinquitur.
Minimi fuisse pretii, multis profuit.

XXVI.

VULPIS SINE CAUDA.

ELapsa laqueo Vulpis caudam amiserat,
Illoque pretio vitam sibi redemerat.
Sed enim pudore mixtus affligit dolor
Misellam, quod se deinde sic oporteat
Curtam ambulare. Socias ergo, cum simul
Tunc congregatae, facto conventu, forent,
Adit; sedetque, suasque perprimit nates
Prudens, tegitque causam moeroris sui;
Istamque, dixit, caudae longitudinem,
Generi quam nostro natura indidit nimis
Benigna, cur, sorores, non abscindimus?

Ea lutofam verri humum numquid juvat?
Ego vero amitti tale onus lucrum puto.
At, quae refcierat hujus infortunium,
Sic retulit una: confilium non improbo,
Cujus nec dubito momentum tibi grave
Dandi quin fuerit; perfuadere fed mihi
Nil poteris, tergum ni prius obvertas, foror.
Hic omnium ingens irrifio Vulpeculam
Cauda minorem exire coetu perpulit.

XXVII.

Piscis fluviatilis et Pisces marini.

Torrente raptus alveo fluviatilis
Marina Pifcis fubierat forte aequora:
Occurrit incolarum turba, et advenam
Hortantur omnes regna Neptuni velit
Incolere fecum: nimiam hic undarum objicit
Amaritudinem: illi contra fe negant
Sentire tale quidpiam: veftrum malum
Ne fentiatis, inquit, ipfa pravitas
Guftus, et ipfa affuetudo mali vetant.

XXVIII.

Bubulcus et Hercules.

Lignis onuftum cum fibi plauftrum in via
Haefiffet, plorans invocavit Herculem
Bubulcus, expectanfque, dum auxilium deus
Praebere vellet, otiofus reftitit.
Adfuit; at ejus increpans ignaviam,
Age tu, inquit ille, lapidem hunc obftantem ejice;

Limum hunc tenacem divelle; humeros admove
Rotae isti, sublevaque: punge nunc boves.
Hui! plaustrum volvitur! ergo memineris deos
Non adjuvare, nisi qui semet adjuvant.

XXIX.

Simiola, Porcus, et Vulpis.

Simiola spurcis foetidi Porci auribus
Suaves, tenellos flores alligaverat:
Hinc stolidus ille factum se bellum putans,
Sibi placebat, et videbatur sibi
Dignus profecto qui placeret omnibus;
Simulque ineptis gestiebat saltibus.
Quod forte Vulpis cum vidisset, sic eum
Monuisse fertur: cui turpem cumque indidit
Natura formam, ornatus hanc si splendidus
Illustrat, auget ipsam turpitudinem.

XXX.

Leo et Musculus.

Leonis olim dormientis per jubas
Lasciviendo cum excurrisset Musculus,
Huncque excitatus apprehendisset Leo,
Veniam rogavit imprudentiae daret;
Eamque facile misericors Leo dedit;
Pecudem necare quippe tantulam pudet.
In retia ille paulo post forte incidit;
Quibus expedire cum se, frustra perfurens,
Nequiret, rudere coepit immanem in modum.
Audit; simulque proximo e cavo exilit

Musculus; adsumque dixit, beneficii memor:
Statimque teretes dente corrodit plagas,
Maculasque solvit, et Leonem liberat.
Gratia referri ab infimis etiam potest.

XXXI.

Asellus onustus sale, deinde spongiis.

VIDE, quidquid agis, an res conveniat loco;
Nam multa, quae fecisse quondam juverit,
Occasione post alia data nocent:
Frustraque dictum ne sit, exemplum dabo.
Cum Fluvium Asellus transisset onustus sale,
Et, in aquas dorsum demittens, aliquandiu
Jacuisset, onere se levatum senserat:
Ergo aliquot ille post diebus huc iter
Dum facit, onustus spongiis, similem sibi
Eventum sperat; ac decumbit: at graves
Aqua subeunte spongiae miserum opprimunt.

XXXII.

Cucurbita et Arbor.

CReverat adhaerens Arbori Cucurbita,
Hujusque trunco et ramis sustinentibus,
Evecta fuerat magnam in altitudinem:
Hinc gloriatur, et etiam prae se, impudens,
Contemnere audet hanc, sine qua reperet humi:
Quot, inquit, annos expectare oportuit,
Donec ea caperet magnitudinem suam!
Ego autem evasi tanta paucis mensibus.
At olitor illuc paullo post cum accederet,

Factam fuisse maturam Cucurbitam,
Ejusque stirpem exaruisse jam videt;
Deducit ergo hanc, et reluctantem licet,
Ramisque nixam celsis, in solum trahit.
Tunc Arbor, isto recte, ait, loco jaces.

XXXIII.

Lepus et Testudo.

Tardis euntem passibus Testudinem
Vidit, superboque Lepus incessens joco,
Tam propera, dixit, quò tuam portas domum?
Quid si, inquit illa, pedibus me dicam tibi
Praestare? totis hic enimvero artubus
Lepus exilire: et hanc, ait, tuam mihi
Exprome celeritatem; meque, si potes,
Assequere. Ego vero, Tardipes refert, lubens
Experiar; atenim praesignemus terminos,
Statuamusque simul, quo certemus pignore.
Utrique postquam jurata est conventio;
Avibus i, propera faustis, subjicit Lepus,
Ego dum quietus hic jaceo, et obdormio.
Interea pergit illa, ipsaque diligens
In tarditate lento festinat gradu,
Demumque victrix occupat metam viae:
Tunc Lepus evigilat, et cursu rapido volans,
Priorem hanc pervenisse nequicquam dolet.
Dotibus eximiis, unde abest prudentia,
Vel si solus erit, praevalet, prudens labor.

XXXIV.

Caseus et Felis.

In cista opimum quem posuerat Caseum
Rusticus, inesse murem qui corroderet,
Advertit; ideo misit huc Felem: at simul
Captum illa murem, Caseumque devorat.
Ad vindicanda damna si improbos legas,
Plerumque gravius hi tibi damnum inferent.

XXXV.

Struthiocamelus altum volandi cupidus.

Mente id ferebat anxia, quod verius
Se subsilire, quam volare cerneret
Struthiocamelus, utpote brevioribus
Instructus alis, et majore corporis
Mole impeditus: ergo cum perdiscere
Artem volandi cuperet, in rupis jugum
Erepsit, unde se demisit: at cadens,
Rectoque raptus impete, fregit tibias:
Ita denique, altum ferri qui per aethera
Cuperet, ne potuit ingredi quidem solo.
Illos, majora, quam natura fert sua,
Qui moliuntur, nostra fabella admonet.

XXXVI.

Lupi Fides.

Fore ut jam nullis vesceretur carnibus,
Steriles sed herbas, pisces ad summum, in cibos
Caperet, prehensus laqueis, cuidam Rustico
Promiserat olim, ac jurejurando Lupus

Fidem obligarat, ſicque evaſerat necem.
Hinc ſe dum recipit in nemus, Porcum videns
Paludis atro ſe volutantem vado,
Hic, inquit, certe piſcis eſt; et eum vorat.
Male agere qui vult, nuſquam non cauſam invenit.

XXXVII.

VULPIS ET ERICIUS.

ERicio ſuperba Vulpis dixerat,
Pollere centum ſe artibus, quas omnium
Adhibere noſſet hoſtium contra dolos:
Unam ſe ſcire tantum cum ille diceret,
Eum contempſit. Paulo poſt venatici
Huc advolarunt praedam odorati canes:
Suam recurrit ſimul ad artem Ericius:
In orbem rite convolvens corpuſculum,
Suiſque ſpinis protegens, canum impetus
Eluſit facile: poſtquam ſic evaſerat
Periculum omne, proſpicit; et Vulpem videns
Urgeri canibus, apprehendi denique,
Huccine, ait, recidis cum tuis centum artibus?
O quanto potior una, ſi ſit optima!

XXXVIII.

MERETRIX ET EJUS AMATOR.

MEretrix abire peregre Amatorem ſuum
Videns, ocellis lacrymulas demittere
Incoepit: aliquis, quare fleret, quaeſiit:
Quia prius, inquit, non abire debuit,
Suum iſtud ipſi quam abſtuliſſem pallium.

XXXIX.

Olitor et Sepes.

ISTA, inquit Olitor, cur ſepes terram occupat
Sterilis? quin evello, ſpatiumque oluſculis
Extendo? ſimul evellere ſtultus incipit;
Suumque furibus hortum pervium facit.
Prudentia nimis inquieta eſt, quae malum
Arceſſit ingens, damnum ut avertat leve.

XL.

Alba Spina et Ficus.

AMicta nitidis Alba Spina floſculis
Cum ſe jactaret, et Ficum contemneret,
Sola foliorum quam veſtiret viriditas;
Sic illa retudit ejus arrogantiam:
Florere me natura non voluit quidem;
Sed ſimul ac tempus autumnale venerit,
Homines accedent ad me onuſtam fructibus,
Quos regibus ipſis apponent, videlicet
Succo refertos optimo, et ſuaviſſimo;.
Tenues dum interea et exſucci foetus tui
Avibus, vel ſuibus etiam praebebunt cibos.
Ingenia nimium multa noſtri temporis
Me perpulere, ut hanc fabellam ſcriberem.

XLI.

Sol et Noctua.

SOLI, quod ejus ſuſtinere Noctua
Radios non poſſet, fecerat convicium:
Non me, ſed oculos, Sol ait, culpa tuos.
Caecus, et ineptus oſor quiſquis eſt bonae
Antiquitatis, noſtra fabella hunc monet.

XLII.

Amygdalus et Pyrus.

CUM ſe videret pulchre ornatam floribus,
Se amabat, ſibi placebat Amygdalus, et Pyrum
Spernebat; ut quae germina vix protruderet.
Sed, fraudulenta qui receſſerat fuga,
Aquilo revertens flores hujus abſtulit,
Spemque ſimul omnem fructuum diſperdidit.
Pyrus autem ab acri vento nil damni ſibi
Factum fuiſſe cernens, hinc etiam magis,
Sui emicare flores ne properent, cavet.
Sententia, illo quae ſub exemplo latet,
Mihi explicanda paulo pluribus venit.
Nam tenera fructus quos emittunt primulum
Ingenia, flores verius vocaveris:
Hos autem nimia celeritas ſi proferat,
Cenſura triſtis plerumque ſuper ingruit,
Meſſemque aceto defricans male praecocem,
Feliciores foetus, ſi qui fors erant
Subinde progignendi, ne erumpant, vetat.



XLIII.

Catellus, Ovis, et Cuniculus.

Cuniculus, Ovis, et Catellus venerant
In campum eumdem: ſed diverſa ſingulis
Cauſa veniendi fuerat. Nam genio ſuo
Catellus indulgere quaeſiit, et leves
Captare luſus. Simplex autem ſe bidens
Ad decerpenda contulit, ſi quae ſibi
Bona viderentur pabula. At Cuniculum
Fodiendi terram cupiditas traxit mala.
Fabella ſpectat lectorum triplex genus.

FINIS.





